






UC-NRLF
$B 43 240

DE

ISIDORI ORIGINUM FONTIBUS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

ad summos in philosophia honores rite obtinendos

scripsit

HENRICUS DRESSEL



AUGUSTÆ TAURINORUM

1874

VINCENTIUS BONA, TYPOTHETA REGIUS

Via Nosocomii 3 et Lagrangii 7.

Commentatio ex *Rivista di filologia e d'istruzione classica*
seorsum typis exscripta.

PATRI AMANTISSIMO

MONITUM

Capita nonnulla de fontibus Originum Isidori ineunte anno superiore una cum auctorum locis ab Isidoro adhibitis Berolinum misi ad Regiam Academiam Scientiarum, cuius classis philosophica et historica certamini litterario in a. 1873 quaestionem proposuerat de Isidori Originum fontibus. Cum vero definiti temporis spatio aliasque ob causas inceptum peragi non posset, primitias tantum operis multi laboris iudicio doctissimorum virorum offerre licuit. Quod quidem tam propitium mihi obtigit (1), ut addendo, recognoscendo, corrigendo eam quaestionis partem ad finem nunc perducere instituerim, quae commentationem continet de ratione qua Isidorus in exscribendo usus sit atque observationes de scriptoribus nonnullis in Originum libris adhibitis.

(1) Cf. *Monatsbericht der k. preuss. Akademie d. Wissensch. zu Berlin, Juli* 1873, p. 530.



I.

Exponitur qua ratione Isidorus usus sit in exscribendo.

Septimo saeculo ineunte cum litterarum studium penitus iaceret neglectum et gentium barbararum incursionibus ex Hispania terra omnes bonae artes tanquam in exilium actae essent Isidorus Hispalensis antistes collectanea eruditionis perquam variae conficere aggressus est. Quae ut componeret, Braulio Caesaraugustanus episcopus eum rogavit (1); videtur tamen Isidorus inter legendum iam antea ex auctoribus excerpsisse res notatu dignas atque collegisse locos ad etymologiam pertinentes, et ita paullatim eo pervenisse, ut Braulione petente et ex verbis iam undique exscriptis et ex novis locis Etymologiarum libros concinnaret.

Ita e manibus Isidori opus prodiit « de origine quarundam rerum », ut ipse asserit « *ex veteris lectionis recordatione collectum atque ita in quibusdam locis annotatum sicut exstat conscriptum stilo maiorum* » (2). Nobis vero qui in eruendis auctoribus versamur, quos Isidorus compilandos sibi proposuit, liceat iam paullulum subdubitare de fide ac veritate illorum verborum : quae si sequamur maior Originum pars Isidori ingenio

---

(1) Cf. Braulionis praenotat. librorum d. Isidori: « *Etymologiarum codicem nimia magnitudine, distinctum ab eo titulis, non libris. Quod quia rogatu meo fecit, quamvis imperfectum ipse reliquerit, ego in* xx *libros divisi* ».

(2) Isidori epist. (VI) ad Braulionem episc.

quamquam veteris lectionis recordatione adiuto deberetur et pauca tantum ibi exstarent ex aliorum libris exscripta. Aliter profecto res sese habet: nam fere totus Etymologiarum codex alienae eruditionis receptaculum est, in quo transscripti leguntur innumeri multorum auctorum loci, perpauca sane pro multitudine rerum ad verbum exscriptarum ita immutata sunt, quae propriam Isidoriani ingenii speciem prae se ferant. Concedamus licet, Hispalensem episcopum iure meritoque magnam in rebus ad ecclesiam spectantibus optinuisse gloriam atque auctoritatem et in Hispania prae ceteris eruditum fuisse septimo saeculo litterarum studio parum propitio, in scriptorum tamen numerum recipi vix potest, ut qui maxima ex parte non ipse excogitaverit ea quae scripta nobis reliquit. Nam qui non Etymologiarum tantum libros, verum etiam reliqua volumina eius nomine insignita volverit, mox persuasum sibi habebit, tenue eius ingenium nec ubertatem in scribendo nec copiam habuisse propriam totumque Isidori pretium in eo consistere, quod cuiusvis generis auctores exscribendo multa volumina confecerit iisque haud ita pauca fragmenta auctorum nunc deperditorum nobis servaverit.

Attamen ne omnem scribendi facultatem Isidoro abiudicemus neve in exscribendis auctoribus eum ita versatum esse putemus, ut nunquam de suo addiderit vel minimas res, praemisit Hispalensis episcopus saepenumero etymologiae causa pauca verba iis, quae ex alio petivit auctore. At in his quoque plerumque nihil aliud fere exhibuit quam quae apud illum exstabant quem compilandum sibi elegerat. Quo factum est, ut quae leguntur 9, 7, 3 « *Sponsus ab spondendo vocatus* », et paullo post 9, 7, 12 « *Uxores vocatae quasi unxiores* » Isidoriana quidem sint verba, ex iis tamen conficta vel quasi repetita, quae ibi sequuntur e Servio (ad. Aen. 10, 79; 4, 458) transscripta « *ut sponsum*

dicamus virum ab spondendo » et « *unde uxores dictae quasi unxiores* ». Etymologiae igitur causa hinc inde Isidorus proprio Marte immutavit, contorsit, addidit; in illis quoque Originum capitibus quae agunt de rebus ad ecclesiam et religionem spectantibus fortasse nonnulla latent Isidorianae eruditionis documenta — ea fere sunt quae ad Isidorum pertinent, reliqua omnia in Originum libros aliunde illata sunt.

Accuratius iam quaerendum esse videtur, qua ratione Isidorus in exscribendo usus sit. Ac primum quidem de fide atque auctoritate, quae Isidorianis excerptis habenda est, breviter disseratur: singula enim, quae notatu digna videbantur, plenius enarrata sunt ubi auctores ab Isidoro adhibiti singulatim recensentur. Neglegentem breviatorem Isidorum fuisse diversissimasque res et diversissimos auctores eum confudisse iam alii observarunt (1) optimeque id ex scriptorum adhibitorum locis colligi potest, quos quoad inveniri potuerunt singulis Originum paragraphis adscripsi cum eruendis fontibus operam darem. Patet ibi Hispalensis episcopi eximia neglegentia atque summa in exscribendo levitas, qua veterum libris obiter tantum inspectis surrepta verba saepenumero ita corrupit atque detorsit, ut auctoris vestigia vix appareant. Male interdum coniungendo quae decerpsit sensum penitus immutavit, id quod plerumque tum accidere solet, cum omissis rebus interpositis minime inter se congruentia connectit; nec desunt exempla quibus Gaio tribuitur quod ad Titium pertinere satis aperte demonstrat is, quem Isidorus exscripsit.

Iam vero videamus quid de fontibus ab Isidoro nominatim citatis censendum sit. Nam cum ex instituto operis

---

(1) Cf. Reifferscheid, *C. Suetoni Tranquilli reliq.* (Lipsiae, 1860), p. 429, 431, 447, 454.

auctorum nomina adscribere non soleat, haud ita pauca tamen occurrunt veterum scriptorum nomina, quorum auctoritate ea tuentur, quae in Originibus leguntur. In ancipiti quidem ut nos versaremur necesse erat utrum Isidorus auctores testes citatos ipsos evolverit necne, priusquam de fontibus satis accurate indagatum esset; iam vero licet scriptorum nomina ab Isidoro apposita in tria genera distribuere: plurima enim una cum ceteris rebus enarratis exscripta sunt ex libris, e quibus Isidorus sua hausit, nonnulla eodem fortasse modo in Origines pervenerunt — neque tamen certum de iis iudicium ferri potest, cum fontes eorum locorum qui illa nomina continent nondum pateant —, pauca denique ab ipso Isidoro afferuntur (1). Sed tantum abest ut omnia vel scriptorum vel aliorum nomina ab auctoribus compilatis citata simul exscripserit (2), ut saepissime ea aut penitus neglexerit (3) aut aliis quibusdam dictionibus circumscribendo suppleverit (3); Varronis quidem no-

---

(1) *Hieronymus* (Orig. 7, 1, 1; 7, 6, 4; 13, 21, 10; 20, 3, 2); *Ambrosius* (Orig. 11, 3, 35); *Augustinus* (Orig. 16, 4, 2); *Tranquillus* (Orig. 8, 7, 1); *Plinius* (Orig. 12, 6, 45); *Aemilianus* (Orig. 17, 10, 8). — Cf. Orig. 15, 1, 2: « *aut sanctae scripturae aut historiae gentium* ».

(2) Quod factum esse videmus ad

1, 3, 1.	12, 1, 14.
26, 15.	2, 9. 20.
2, 9, 14.	13, 18, 3 ?
23, 1.	21, 10.
8, 7, 3.	14, 6, 18. 23. 26. 36.
9, 13.	7, 4.
9, 2, 35. 63. 64. 74.	15, 1, 1. 63.
10, 209.	13, 6.
11, 1, 51. 97.	18, 2, 1.
3, 1.	16, 2.
	20, 10, 1 etc.

(3) Cf. Orig. 3, 49, 1.
70, 17 (Avienus = quidam astrologi).
5, 26, 11.
35, 3.
8, 8, 3.
9, 2, 74. 87. 105.

men utpote quod summae auctoritatis fuerit fere semper retinuit (1). Apparet igitur, Isidorum in adscribendis vel omittendis nominibus a fontibus suis prolatis normam quandam aut legem non esse secutum.

Sed quanto socordius illas exscriptoris partes sustinuit, tanto diligentius eas egit, de quibus nunc dicendum est. Proprium enim Isidoro est, plures eiusdem auctoris locos de eadem re agentes in unum conflare verbis modo hinc

9, 6, 6.
11, 1, 25. 35. 36. 140.
2, 18.
12, 2, 5. 16. 20.
6, 43. 46 (Anaxilaus = quidam). 36. 15 (?).
7, 30.
8, 3.
13, 10, 2.
13, 2^{4}. 3^{1}. 5^{3}. 6^{2}. $7^{1.3}$. 9^{4}.
18, 4 ?
20, 5.
21, 9.
14, 1, 52 ? 58.
4, 21.
6, 8. 9. 10. 15.
15, 3, 13.
9, 2.
13, 7.
15, 4^{1}. 7.
16, 3, 7 ?
4, 21.
8, 1 ?
11, 3.
14, 7 ?
24, 2.
17, 5, 27.
8, 2.
18, 16, 2.
17, 2 (Stesichorus = historiae).
19, 7, 11.
20, 11, 10 (Asper = alios) etc.

(1) Originum locos Varronis nomine speciosos ad fontes revocavit H. Kettner, *Varronische Studien, Halle* 1865.

modo illinc excerptis. Ita ex Cassiodori duobus locis iisdem fere verbis expressis (de arithm. p. 584 et 586 ed. Garetii, Rotomagi 1679) (1) ea confecit quae 3, 1, 1. 2 leguntur (2). Neque minus mirabilis est locus de puteolano pulvere (16, 1, 8) (3) qui cum fere totus e Plinio 35, 166 (4) petitus sit, pro verbis tamen « *maris fluctibus* » ibi exstantibus ea substituta praebet, quae apud eundem Plinium § 167 (5) de eodem quidem puteolano pulvere, sed alio rerum nexu leguntur « *ad sustinenda maria fluctusque frangendos* ». Simili quoque modo 12, 6, 17 scripsit: « *Tradunt decem cancris cum ocimi manipulo alligatis omnes qui ibi sunt scorpiones ad eundem locum congregari* », quem locum

---

(1) p. 584: « *Scriptores saecularium litterarum inter disciplinas mathematicas primam* omnium arithmeticam esse voluerunt: propterea quod *musica et geometria et astronomia, quae sequuntur,* indigent arithmetica, ut virtutes suas valeant explicare... Arithmetica vero, ut sit, neque musica neque geometria neque astronomia egere cognoscitur ». — p. 586: « memento quod haec disciplina ideo ceteris antefertur, *quoniam ipsa*, sicut superius dictum est, *ut sit, nullius alterius indiget disciplinae.* Reliquae vero *quae sequuntur*, sicut eius iam qualitas virtutis ostendit, *ut sint atque subsistant*, indigent arithmetica disciplina.

(2) « *Arithmetica est disciplina numerorum... Quam scriptores secularium litterarum inter disciplinas mathematicas ideo primam esse voluerunt, quoniam ipsa ut sit, nulla alia indiget disciplina. Musica autem et geometria et astronomia quae sequuntur ut sint atque subsistant istius egent auxilio* ».

(3) « *Pulvis Puteolanus in Puteolanis Italiae colligitur collibus, opponiturque ad sustinenda maria fluctusque frangendos. Nam mersus aquis protinus fit lapis, undisque quotidie fortior effectus in saxum mutatur* » etc.

(4) « *Quis enim satis miretur pessumam eius partem ideoque pulverem appellatam in Puteolanis collibus opponi maris fluctibus, mersumque protinus fieri lapidem unum inexpugnabilem undis et fortiorem cotidie, utique si Cumano misceatur caemento*? »

(5) « *Non multum a pulvere Puteolano distat e Nilo harena tenuissima sui parte, non ad sustinenda maria fluctusque frangendos, sed ad debellanda corpora palaestrae studiis* ».

concinnavit ex duobus similibus apud Plinium 20, 120 « *Quin immo tradunt aliqui manipulo ocimi cum cancris decem marinis vel fluviatilibus trito convenire ad id scorpiones ex proxumo omnis* » et 32, 55 « *Decem vero cancris cum ocimi manipulo adligatis omnis qui ibi sint scorpiones ad eum locum coituros Magi dicunt* »; eodemque modo Augustinum de civ. dei 14, 17 et 15, 20, 1 (1) de Gymnosophistis agentem in unum conflavit (8, 6, 17) (2). Quo quidem artificio Isidorus nihil aliud assecutus est, nisi ut locus ita compositus neque plus neque minus contineret quam alteruter illorum, quos coniunxit.

Redundant Originum libri paragraphis, quae duobus vel pluribus simul locis iisdem verbis conscriptae leguntur. Quae utrum ab ipso Isidoro an postea a Braulione bis positae sint non constat quidem; ab Isidoro tamen repetitae esse videntur. Ex Braulionis enim verbis pag. 1 adn. 1 citatis id tantum colligitur, imperfectum Isidori opus, quod titulis distinctum acceperat, eum in XX libros divisisse.

Praeter hoc repetendi studium illud quoque saepissime apud Isidorum occurrit, quod etymologiae causa certae quaedam dictiones graecis plerumque vocabulis eorumque latina interpretatione compositae iterum atque iterum inseruntur iis quae ex aliis auctoribus petita sunt. Ita legitur:

---

(1) 14, 17: « *Per opacas quoque Indiae solitudines, cum quidam nudi philosophentur, unde Gymnosophistae nominantur, adhibent tamen genitalibus tegmina, quibus per cetera membrorum carent* ». — 15, 20, 1: « *Et Indorum Gymnosophistae, qui nudi perhibentur philosophari in solitudinibus Indiae, cives eius sunt, et a generando se cohibent* ».

(2) « *Gymnosophistae nudi per opacas Indiae solitudines perhibentur philosophari, adhibentes tantum genitalibus tegmina. Gymnasium enim ex eo dictum est, quod iuvenes nudi exercerentur in campo, ubi pudenda sola tantum se operiunt* [medela eget locus]. *Hi et a generando se cohibent* ».

ignis enim apud Graecos πῦρ *appellatur* (3, 12, 6),
πῦρ *enim flamma dicitur* (10, 129),
πῦρ *enim dicitur ignis* (15, 11, 4),
πῦρ *enim ignis est* (16, 1, 9);

lux enim graece φῶς *dicitur* } (15, 7, 5),
φῶς *enim graece lux est* }
φῶς *enim flamma est* (17, 9, 107),
φῶς *enim ignis est* (17, 10, 18; 19, 6, 5);

quia graece χαμαὶ *humile est breve dicitur* (12, 1, 35),
χαμαὶ *enim Graeci breve dicunt* (14, 8, 23),
Graeci enim χαμαὶ *breve dicunt* (20, 11, 2);

camur enim graeco verbo curvum significat (12, 1, 35),
κάμουρ *enim graece curvum est* (15, 8, 5);

κοινὸν *enim graece commune dicitur* (15, 4, 6),
κοινὸν *quippe Graeci commune dicunt* (20, 2, 14).

Animadvertendum denique est, in Etymologiarum libris de eadem interdum re bis agi, ita tamen ut appareat, non ex uno tantum auctore hausta esse verba, sed ex diversis scriptoribus diversis locis unam eandemque rem similibus inter se verbis esse relatam (1). Sunt praeterea apud Isidorum de eadem re sententiae quaedam inter se contrariae, ex diversis auctoribus petitae.

---

(1) Cf. inter alia Orig. 16, 4, 6 « *Selenites, qui latine lunaris interpretatur, eo quod interiorem eius candorem cum luna crescere atque deficere aiunt; gignitur in Persida* » ex Aug. de civ. dei 21, 5, 1 « *In eadem Perside gigni etiam lapidem Selenitem, cuius interiorem candorem cum luna crescere atque deficere* »; Orig. 16, 10, 7 « *Selenites translucet candido melleoque fulgore, lunae imaginem continens, quam iuxta cursum astri illius perhibent in dies singulos minui atque augeri. Nascitur in Persida* » e Solino 37, 21 « *Selenites translucet fulgore candido melleoque, continens lunae imaginem, quam iuxta cursum astri ipsius perhibent diebus singulis vel minui vel augeri* » et Plin. 37, 181 « *Selenitis ex candido tralucet melleo fulgore imaginem lunae continens, redditque ea* in dies singulos *crescentis minuentisque sideris speciem* ».

Quid vero de iis sentiendum est, quae non solum in Originibus, sed in reliquis etiam Isidori libris iisdem verbis expressa exstant? Utrum ea Isidorus ex illis libris in Etymologiarum codicem transtulerit nec ne, non parvi quidem momenti pro nostra de fontibus disquisitione videtur esse, ad quaestionem vero solvendam nihil omnino conferre potest, quia si ita esset innumeras particulas in Originibus haberemus, quarum primarius fons lateret. Non eadem sane fuit quaestio, num ea tanquam fontes recipienda essent quae in libro « de natura rerum » cum Originibus concinunt: nam cum plenius plerumque illic res enarratae sint quam in Originibus, iam alii non dubitaverunt pronuntiare, Isidorum e libro de natura rerum multa transtulisse in Origines (1). Quod vero ad reliquos Isidori libros attinet, vix eo pervenire nos posse fatendum est, ut certo quodam modo dicere possimus, aut omnia aut partem eorum quae cum Originibus faciunt illic esse recepta. Etymologiarum enim libros imperfectos reliquisse Isidorum cum diem supremum obiit constat: nescimus vero et quomodo in conficiendis Originibus versatus sit et quando coeptum sit opus, etsi, ut diximus, Etymologiarum libri multorum annorum studii fructus videntur esse, volumenque inter legendum atque scribendum paullatim crevisse credibile est. Particulas igitur et in Originibus et in reliquis libris obvias in Etymologiarum codicem eodem fortasse tempore Isidorus rettulit, quo reliquos libros conscripsit: at vero si quis aliter sentiat et ita Origines exstitisse contendat, ut coeptum iam opus rogatu Braulionis brevi temporis spatio ex omnibus simul quos Isidorus composuerat libris auctum sit atque ampliatum,

---

(1) Cf. G. Beckeri prolegg. ad Isid. de natura rerum (Berolini, 1857) p. XXIII: « Quas in Origines e libro de natura rerum quae notatu digna habuit saepissime transtulit, nonnusquam aliorum quoque sententiis additis, raro neglecto hoc libro prorsus diversa docens ».

non habeo quid obiciam. Quod quomodocunque se habet, particulas illas inter Originum fontes recipiendas non esse censeo. Verumenimvero non de omnibus, quae et in Originibus et in aliis Isidori libris inveniuntur, eodem iudicandum est modo: nam quae in ceteris libris exstant non semper plenius enarrata sunt quam res in Originibus traditae. Ita, ut de multis unum afferam exemplum, libri sexti caput secundum, quod « de scriptoribus et vocabulis sanctorum librorum » inscribitur, cum multa contineat quae eodem modo aut similiter apud Isid. de officiis 1, 13 leguntur, ex hoc tamen libro haustum esse non potest, cum plenius conscriptum sit in Originibus.

Restat ut pauca addamus de Isidori scientia ac cognitione graeci sermonis: qua de re multi diversa senserunt. Non defuere enim qui Isidorum non solum hebraicae ac latinae sed etiam graecae linguae peritissimum fuisse affirmare ausi sint (1). Alii qui eius ingenium melius perspexerunt de graeca Isidori eruditione subdubitaverunt (2), nonnulli Hispalensem episcopum omnis graecae linguae cognitionis penitus expertem atque ignarum fuisse asseruerunt (3). Ac

---

(1) L. Spengler « *Isidorus Hispalensis in seiner Bedeutung für die Naturwissenschaft und Medicin* » in « Janus, *Zeitschr. für Gesch. und Litteratur der Medicin, herausgegeben von Henschel* » vol. III (1858) p. 56, ubi vir doctissimus in hunc praeterea modum ineptit: « Er besass eine sehr ausgebreitete Gelehrsamkeit und tiefe Kenntniss der alten, sowohl kirchlichen, als besonders der profanen Schriftsteller, *wie man deutlich aus dem Index scriptorum ab Isidoro citatorum ersieht,* den Otto seiner schönen Ausgabe beigefügt hat ».

(2) Janus in « *Zeitschr. für d. Alterthumswissensch.* » 4 (1837) n. 85: « Es scheint nach mehreren ähnlichen Stellen fast, dass Isidor selbst der griechischen Sprache nicht hinlänglich mächtig war, um die Wörter, die er bei seinen Etymologien brauchte, richtig anzugeben ».

(3) E. Meyer « *Geschichte der Botanik*, *Königsberg* 1855 » vol. II p. 279: « Der gelehrteste Lateiner dieses Zeitalters, freilich ein Spanier, Isidorus Hispalensis, konnte schwerlich eine Zeile griechisch lesen, wie er durch seine unsinnigen Etymologien verräth ».

nobis, qui in fabricam quasi atque officinam Isidori penetravimus, vix propensius iudicandum esse videtur; tam varia enim sunt indicia, Isidorum graeci sermonis inperitum fuisse, ut iis assentiendum sit, qui rudimentis tantum graecae linguae eum imbutum fuisse opinati sunt. Inde ineptae et ridiculae etymologiae ortae sunt, inde profecta est multarum graecarum vocum depravata forma, quae scribarum neglegentiae non semper crimini danda est. Quae cum ita sint omnes consentiant necesse est, inter Isidori fontes graecos scriptores nullo modo recipi posse.

II.

Scriptores nonnulli quibus Isidorus usus est singuli recensentur.

DE SALLUSTIO

Sallusti librum de bello Iugurthino ab Isidoro adhibitum esse, bis tantum Grialius monuit in adnotationibus ad Orig. 9, 2, 119 (= Sall. de b. Iug. 18,1) et 15, 12, 4 (= Sall. de b. I. 18, 8); quibus exemplis nunc accedunt haec: Orig. 9, 2, 120-122 (1) = Sall. de b. I. 18, 3-10 (2), Orig.

(1) « *Mauri et Numides, ut Afri putant, sic sumpserunt exordium et vocabulum. Nam postquam in Hispania interiit Hercules, et exercitus eius compositus ex variis gentibus amisso duce passim sibi sedes quaerebant, ex eo numero Medi et Persae et Armenii navibus in Africam transvecti proxima mari loca occupavere. Sed Persae dum materiam in agris pro construendis domiciliis non invenissent, et ignara lingua commercium prohiberet, per patentes agros et diversas solitudines vagabantur, et a pabulationibus vagabundis semetipsos propria lingua Numides appellaverunt, id est sine oppido vagos et errantes. Medi autem cum Libyis se miscuerunt, qui proxima Hispania inhabitabant, quorum nomen paullatim Libyes corrupere, barbara lingua Mauros propter Medos appellantes, licet Mauri ob colorem a Graecis vocentur* » etc.

(2) « *Sed postquam in Hispania Hercules, sicut Afri putant, interiit, exercitus eius compositus ex variis gentibus, amisso duce ac passim multis sibi quisque imperium petentibus, brevi dilabitur. Ex eo numero*

14, 5, 17 sub fin. (1) = Sall. de b. I. 19, 4-6 (2); praeterea Sallustius fons citatur ad 13, 18, 6 init. (= de b. I. 78, 3) (3), ut de ea re dubitatio relinquatur nulla.

Illud igitur nobis quaerendum restat, utrum et quatenus Historiarum libros in partes vocaverit Isidorus — nam ex libro de coniuratione Catilinae nihil eum hausisse inde crediderim, quod cum eiusdem libri fragmenta nulla inveniantur in Originibus, Sallustiani prooemii verba « *quae natura prona et ventri obedientia finxit* » ad 11, 1, 5 relata haud scio an memoriter tantum sint laudata.

Ac primum quidem si Historiarum naturam spectamus, quantum ex earum fragmentis colligi potest, rerum gestarum narrationem plurimis ornasse digressionibus Sallustium con-

---

Medi, Persae et Armenii, navibus in Africam transvecti, proxumos nostro mari locos occupavere. Sed Persae inter Oceanum magis; iique alveos navium inversos pro tuguriis habuere, quia neque materia in agris neque ab Hispanis emundi aut mutandi copia erat: mare magnum et ignara lingua commercia prohibebant. Hi paullatim per conubia Gaetulos secum miscuere; et quia saepe temptantes agros alia, deinde alia loca petiverant, semet ipsi Nomades appellavere..... Medi autem et Armenii accessere Libyes — nam hi propius mare Africum agitabant, Gaetuli sub sole magis, haud procul ab ardoribus —; iique mature oppida habuere.... Nomen eorum paullatim Libyes corrupere, barbara lingua Mauros pro Medis appellantes ». Cf. Sall. de b. I. 19, 4: « *proxumi Hispaniam Mauri sunt* ».

(1) « *Proxima autem Hispaniae Mauretania est, deinde Numidia, inde regio Carthaginensis, post quae Getuliam accipimus, postea Aethiopiam, inde loca exusta solis ardoribus* ».

(2) « *Cetera loca usque ad Mauretaniam Numidae tenent; proxumi Hispaniam Mauri sunt. Super Numidiam Gaetulos accepimus partim in tuguriis, alios incultius vagos agitare, post eos Aethiopas esse, dein loca exusta solis ardoribus* ».

(3) Non satis quidem liquet, utrum ex ipso Sallustio (78, 3: « *Syrtes ab tractu nominatae* ») deprompta an ex Hieronymo (de nominib. hebr. p. 104: « *Syrtim, angustiam sive tribulationem: melius autem Sallustius a tractu ait nomen impositum* ») petita sint verba Isidori « *Syrtes autem Sallustius a tractu vocari dicit* »: verisimilius tamen videtur esse, librum de nominibus hebraicis, ex quo Isidorus tam saepe sua hausit, hic quoque esse adhibitum.

stat, quibus « non solum terrarum atque regionum situm et naturam descripsit, sed etiam de gentium ingenio, moribus, institutis atque antiquitatibus prodidit quae memoratu digna viderentur. Ex quo genere sunt quae libro I de Mauris et Fortunatis insulis ac de piratarum origine et sedibus, libro II de Sardiniae et Corsicae natura antiquissimisque incolis et de Hispanorum moribus et bellicosa indole, libro III de mari Pontico et circumiacentibus gentibus, de Danubio et Germanis, de Creta insula eiusque religionibus, libro IIII de Euphrate, Tigri, Mesopotamia et Armenia, de Thraciae gente Mysorum, denique de Italiae inferioris ingenio et freto Siculo tradita leguntur » (1). Cumque id potissimum genus rerum Originum auctori acceptum esse deberet, qui historicorum libros ita fere adhibet, ut neglectis rebus ad historicam expositionem pertinentibus ea praecipue exscribere soleat, quae ad illustrandam terrarum naturam atque gentium indolem interposita sunt, cumque hanc ipsam viam ac rationem secutus sit in illis quos ex Iugurtha expressit locis, verisimillimum esse apparet, Isidorum Historiarum quoque libris esse usum. Sufficiat igitur ut monuerim, Isidorum praeter Iugurtham etiam reliquos Sallusti libros adhibere potuisse, utque significaverim genus rerum quod ex Historiarum libris in suum usum convertere potuerit.

Sed priusquam ad exempla transeamus Sallustianisque fragmentis eruendis operam navemus, quid de Isidoro senserint Sallustianorum fragmentorum editores breviter exponamus.

Qui Historiarum fragmenta ediderunt usque ad Fridericum Kritz (Lipsiae 1853) non dubitaverunt quidem recipere ea quae in Originibus ex Sallusti Historiis exstare cogno-

---

(1) Verba sunt ex Kritzii *Epistola critica ad Ernestum Wuestemannum* p. XXIV sq. (vol. III opp. Sallusti).

verant, at non omnibus de Sallustio Isidori fonte eadem sententia fuit. Gerlachius enim et Debrossius longe plura in Originibus ex Sallustio superesse opinati sunt quam Kritzius, qui inter alia « ex Sallustio » inquit (1) « quamquam plurima petivit, tamen, quum auctorum verba raro integra laudet, sed alia omittere soleat, alia addere, valde verendum est, ut Gerlachius et Debrossius hunc Isidori locum recte Sallustianis Fragmentis intulerint ». Et iterum (2) « Uter » inquit (de Isidoro et Servio loquitur) « Sallustiana verba accuratius attulerit — neuter enim plane genuina habere videtur —, difficile dictu est; sed quum Isidorus, ubi veterum scriptorum locis utitur, multa variare soleat addendo, omittendo, immutando, Servium sequi consultius duximus ». Kritzius igitur etsi de Sallusti Historiarum libro Isidori fonte non dubitavit — recepit quoque nonnullos Isidori locos inter fragmenta —, parvam tamen haud raro fidem habendam esse censuit iis quae in Originibus ad Sallustium referenda sunt vel ex eo pendere videntur, quippe additamentis aliunde petitis vel rebus parum accurate relatis ita turbatus sit Sallustianus color, ut saepius vix ad eum pertinere videantur. Et recte quidem Kritzius, si verborum tantum nexum atque ipsius Sallusti verba spectamus, quae Isidorus in iis qui ex Sallustio profecti videntur locis exhibet, at severius iudicavit de ipsis rebus, quae multo saepius ad Historiarum libros referendae sunt, id quod ex hisce exemplis patebit.

1. *Orig.* 13, 16, 4.

Ad Sallustium revocandus esse videtur locus Isidori de Pontico sinu (« *Inde Ponticus sinus amplissimus a tergo*

---

(1) Ad fragmentum 2 libri II.
(2) Ad fragm. 36 libri IV.

Maeotidis paludis, quod mare ex multitudine aquarum et fluminum dulcius quam cetera nebulosumque et brevius »). Verba enim « *mare... dulcius quam cetera* » cum bis apud Servium occurrant ex Sallustio (1) cumque alii ex eodem fonte iis similia rettulerint auctores (2), reliqua vero de multitudine fluminum atque de nebulosa et brevi natura nusquam fere reperiantur simili modo inter se coniuncta (3), nisi quod apud Pomponium Melam quem Isidorus fontem non adhibuit haec legantur (1 § 102): « *brevis, atrox, nebulosus, raris stationibus* », iam conicere licet, hanc paragraphum maximam partem ad Sallustium esse referendam. Quae coniectura praeterea inde confirmatur, quod fere omnia quae de Pontico mari ab Isidoro traduntur apud Ammianum quoque (22, 8, 46. 47) (4) similiter expressa leguntur, quem in his rebus enarrandis ex Sallustio quodammodo pendere V. Gardthausen nuper demonstravit (5).

Quod vero ad reliqua Isidori verba attinet « *unde et Ponticum vocatum, quod sit brevius atque* (*eo*) *praeter*

(1) Serv. ad Aen. 1, 228: « *Sic Sallustius: Ipsum mare Ponticum dulcius quam cetera* »; ad Aen. 12, 143: « *Tale est et illud Sallustianum: mare Ponticum dulcius quam cetera* ».

(2) V. Kritzium ad fragm. 51 libri III, qui quidem Isidori locum ignorare videtur.

(3) Cf. Plin. 9, 49.

(4) « *Omnis autem circumfluo ambitu Pontus et nebulosus est et dulcior aequorum ceteris et vadosus, quod et concrescit aer ex umorum spiramine saepe densetus, et inruentium undarum magnitudine temperatur, et consurgit in brevia tortuosa, limum globosque adgerente multitudine circumvenientium fluentorum. et constat ab ultimis nostri finibus maris agminatim ad hunc secessum pariendi gratia petere pisces, ut aquarum suavitate salubrius fetus educant in receptaculis cavis... securi voracium beluarum: nihil enim in Ponto huius modi aliquando est visum, praeter innoxios delphinas et parvos* ».

(5) « *Die geographischen Quellen Ammians* » in « *Fleckeisen, Jahrbücher für class. Philologie* », VI Supplementband 1872. 1873 p. 549 sq. 551 sq.

phocas et thynnos atque delphinos alias belluas maiores non patitur », Sallustio minime adiudicandam censeo etymologicam eorum partem (usque ad verbum *atque;* reicio vocabulum *eo* quod addidit Otto ex Gu. 1. 2. va.), quam ipsi Isidoro attribuo; postrema verba e Solino (12, 13)(1) petita videntur, nisi forte ea quoque ad eundem Sallusti locum pertinent, ex quo reliqua de natura Pontici maris desumpta sunt (cf. Ammian. in adn. 4 cit.).

2. *Orig.* 13, 18, 3-5 (2).

Quae deinde apud Isidorum 13, 18, 3-5 de freto Siculo, de Scylla atque Charybdi leguntur, ex Sallustio fere omnia petita videntur. Verba enim § 3 « *Sallustius tali ex causa — aut per angustiam scissum* » paucis immutatis Servius attulit ad Aen. 3, 414 ex Sallustio (3), et quae sequuntur « *Et inde* Ῥήγιον *nominatum, quia graece abruptum hoc nomine nuncupatur* » apud Pompeium Trogum a Iustino

---

(1) « .... *ibi praeter phocas rara belva est. plurimus thynnus in Ponto* »; cf. 12, 3: « *Haec profunda delphinas plurimos habent* ».

(2) « *Fretum Siciliae, quod Rhegium dicitur, Sallustius tali ex causa vocari scribit dicens, Italiae olim coniunctam fuisse Siciliam, et dum esset una tellus medium spatium aut per humilitatem abruptum* [leg. *obrutum*] *est aquis, aut per angustiam scissum. Et inde* Ῥήγιον *nominatum, quia graece abruptum hoc nomine nuncupatur. Est autem artissimum trium millium spatio Siciliam ab Italia dividens, fabulosis infame monstris, cuius hinc inde Scylla et Charybdis ostenditur. 4. Scyllam accolae saxum mari imminens appellant, simile celebratae formae procul videntibus. Unde et monstruosam speciem fabulae illi dederunt, quasi formam hominis, caninis succinctam capitibus, quia collisi ibi fluctus latratus videntur exprimere. 5. Charybdis dicta, quod gurgitibus occultis naves absorbeat. Est enim mare verticosum et inde ibi laniata naufragia profundo emergunt. Ter autem in die erigit fluctus et ter absorbet. Nam accipit aquas ut evomat, vomit ut rursum accipiat* ».

(3) « *Haec loca; ut etiam Sallustius dicit: Italiae Siciliam coniunctam constat fuisse: sed medium spatium aut per humilitatem obrutum est, aut per angustiam scissum. Ut autem curvum sit, facit natura mollioris Italiae* » etc.

breviatum (4, 1) similiter leguntur ita: « *Proximum Italiae promontorium Rhegium dicitur, ideo quia graece abrupta hoc nomine pronuntiantur* ». Quae num quodammodo ex Sallustio quoque pendeant nescio, Kritzius haud dubie erravit ad fragm. 35 libri IV de hoc Isidori loco adnotans: « De Rhegio enim quae leguntur, omnia Isidorum sapiunt, quippe qui urbis nomen falso ad fretum transtulerit, et grammaticorum more graecae vocis interpretationem prodiderit. Veteres enim talia latine significare solitos esse, monuimus » etc. Sive igitur Sallustius fons fuit, sive Iustinus, Kritzio utique assentiendum non est neque Isidori est etymon, quod Plinius quoque similiter exhibet (3, 86): « *Sicilia... circuitu patens, ut auctor est Agrippa DXXVIII M pass., quondam Bruttio agro cohaerens, mox interfuso mari avolsa XV M in longitudinem freto, in latitudinem autem MD pass. iuxta Columnam Regiam. ab hoc dehiscendi argumento Rhegium Graeci nomen dedere oppido in margine Italiae sito* ». Quibus fontibus praeter M. Agrippam hoc loco Plinius usus sit non liquet; nam ea tantum, quae de mensuris tradita sunt, ex Agrippa fluxisse credibile est, qui totum orbem Romanum metiendum curavit et « mensuras compertas in commentariis contulit ». Quid vero dicendum est de Isidori verbis « *est autem artissimum trium millium spatio Siciliam ab Italia dividens* », cum non solum Plinius freti latitudinem MD passuum fuisse referat (1), sed etiam graeci scriptores eandem fere mensuram tradant? (2). At concilianda videtur Plini et Isidori

(1) Cf. Plin. 3, 86 supra cit. et 3, 73: « *dein Columna Regia, Siculum fretum ac duo adversa promunturia, ex Italia Caenus, e Sicilia Pelorum, duodecim stadiorum intervallo* ».

(2) Cf. Polyb. 1, 42, 5: ἀπέχει δὲ τῆς Ἰταλίας ὡς δεκαδύο στάδια; Diod. Sic. 4, 22: διενήξατο τὸν πόρον, ὄντος τοῦ διαστήματος σταδίων τριῶν καὶ δέκα ὥς Τίμαιός φησι κ. τ. λ.

mensurae discrepantia, nam Plinius addit « *iuxta Columnam Regiam* », id est certo quodam loco latitudo freti est MD passuum: freti vero spatium quod est inter Columnam Regiam et Messanam omnium brevissimum fuisse constat, ita ut is quem Isidorus exscripsit non minimam freti latitudinem indicaverit. Ceterum fieri non potest quin miremur, quod nonnulli veteres scriptores latitudinem Siculi freti MD passuum vel XII stadiorum fuisse tradiderint; sit ea omnium minima, minime conciliari potest cum hodierna freti latitudine: secundum Steinium (1) enim minima est trium, maxima decem M passuum italicorum, qui fere respondent antiquorum passibus, ita ut Isidorus non errasse videatur trium millium freti latitudinem referens.

Iam vero quae apud Isidorum sequuntur « *fabulosis infame monstris, cuius hinc inde Scylla et Charybdis ostenditur* » secundum Kritzium adnumeranda sunt iis, quae « tum orationis forma tum ipsa rerum expositione » non Sallustium, sed « serioris aetatis grammaticum » arguunt. Grammaticum certe non produnt, nam apud Florum in epit. 1, 18 tria priora verba ita exstant: « *Appio Claudio consule primum fretum ingressus est fabulosis infame monstris aestuque violentum* » etc.; quae quidem unde petita sint non constat, Flori tamen ea non esse apparet.

Restat ut quaeramus de nomine Rhegii ad Siculum fretum relato. Qua in re assentiendum esse videtur Kritzio, qui urbis nomen falso ad fretum transtulisse Isidorum ait. In tenebris tamen quodammodo versamur neque certam sententiam proferre possumus, cum praeter oppidum Rhegium etiam promontorium eiusdem nominis fuisse constet (2),

---

(1) *Handbuch d. Geographie, bearbeitet von Hörschelmann, Leipzig* 1833, I p. 282.

(2) Cf. Iustin. 4, 1: « *Proximum Italiae promontorium Rhegium dicitur, ideo quia graece abrupta hoc nomine pronuntiantur* ».

ita ut dubium sit an fretum quoque, quod Siciliam ab Italia dividit quodque non Siculi tantum nomen habuisse scimus (1), Rhegium veteres appellaverint. Sed in ambigua re nihil pro certo affirmaverim.

Artiore quam solet nexu Isidorus duabus sequentibus paragraphis de Scylla atque Charybdi superioris paragraphi rerum narrationem prosequitur. « *Scyllam* » inquit « *accolae saxum mari imminens appellant, simile celebratae formae procul videntibus* ». Videntur ea e Servio (ad Aen. 3, 420) petita, qui « *Sallustius* » inquit « *saxum esse dicit* (Scyllam sc.) *simile formae celebratae procul visentibus* ». Sallustium igitur a Servio citatum nominare Isidorus neglexit, at quamvis pauca, plura tamen et haud ita spernenda praebet quam Servius. Accolarum enim mentio, qui saxum mari imminens Scyllam appellant, eiusmodi videtur esse, quae nullo modo ab ipso Isidoro conficta esse possit. Kritzius (ad fragm. 36 lib. IV) hunc quoque Isidori locum parvi habuit Serviumque sequi consultius duxit; quae vero in Originibus sequuntur « *Unde et monstruosam speciem fabulae illi dederunt, quasi formam hominis, caninis succinctam capitibus, quia collisi ibi fluctus latratus videntur exprimere* » tam aliena a Sallustio esse censuit, ut hanc de iis tulerit sententiam: « Certe Sallustii non esse, quae ex Isidorianis prona litterarum forma exprimenda curavimus, quivis, opinor, sponte intelliget ». Ego quidem non intellego, etsi concedo, Isidorum paullulum immutasse Sallusti verborum contextum. Huc accedit quod in eodem quem supra posuimus Servi loco paullo post eadem res tangitur, quae apud Isidorum pluribus expressa legitur, canum quippe latratus, qui fluctuum collisione resonare videntur.

(1) Cf. A. Forbiger, *Handbuch d. alten Geographie*, *Leipzig* 1848, vol. III § 120 p. 779.

Quae denique § 5 tradidit Isidorus: « *Charybdis dicta, quod gurgitibus occultis naves absorbeat. Est enim mare verticosum, et inde ibi laniata naufragia profundo emergunt* » tam aperte ex Sallustio petita sunt, ut ipse Kritzius (ad fragm. 37 lib. IV) id affirmare non dubitaverit, etsi Isidori verba inter fragmenta non recepit: propterea, ut videtur, quod auctoris nulla facta est mentio, cum alii, qui eadem fere tradiderunt (Servius ad Aen. 1, 117 (1); 3, 425 (2) et Arusianus p. 229 ed. Lindem. (3)) omnes Sallustium auctorem citent. A Kritzio rursus non dissentio in eo quod reliqua huius paragraphi verba « *Ter autem in die erigit fluctus et ter absorbet. Nam accipit aquas ut evomat, vomit ut rursum accipiat* » ab Sallustio adeo abhorrere existimavit, ut silentio ea praeterierit: e Vergilio (4) enim exque eius scholiasta (5) illa concinnasse Isidorum quis negaverit?

3. *Orig.* 13, 21, 10 (6); de hoc Isidori loco cf. Kritzius ad fr. 11 libri IV p. 307 sq., cui in omnibus assentior,

---

(1) « *De quo ait Sallustius: Charybdis, mare verticulosum* ».

(2) « [*Trahentem*; *Sallustius: Quod forte inlata naufragia sorbens gurgitibus occultis milia sexaginta Tauromenitana ad litora trahit*...] ».

(3) « *Emergit se. Sallust. hist.* IV: *Ubi se laniata navigia fundo emergunt* ».

(4) Aen. 3, 421: « .... *atque imo barathri ter gurgite vastos*
sorbet in abruptum fluctus rursusque sub auras
erigit alternos ».

(5) Serv. ad Aen. 3, 423: « [.... *aut alternos, vicissim, quia accipit ut vomat, rursus vomit ut accipiat*] ».

(6) « *Euphrates fluvius Mesopotamiae de paradiso exoriens, copiosissimus gemmis, qui per mediam Babyloniam influit: hic a frugibus vel ab ubertate nomen accepit. Nam Ephrata hebraice fertilitas interpretatur. Mesopotamiam etenim in quibusdam locis ita irrigat, sicut Nilus Alexandriam. Sallustius autem auctor certissimus asserit, Tigrim et Euphraten uno fonte manare in Armenia, qui per diversa euntes longius dividuntur spatio medio relicto multorum millium; quae tamen terra ab ipsis ambitur, Mesopotamia dicitur. Ex quo Hieronymus animadvertit, aliter de paradisi fluminibus intellegendum* ».

his tamen observationibus additis. Originum verba « *Sallustius autem auctor certissimus asserit* » non ab Isidoro posita sed cum aliis simul hausta sunt ex Hieronymo (1); cum vero Sallustianus locus quem exhibet Isidorus plenior sit conscriptus, nec in omnibus cum Hieronymo consentiat, praeter librum de situ et nom. locorum hebr. Sallustium quoque adhibitum esse satis est probabile (2).

4. *Orig.* 14, 3, 37 (3).

Luculentissimum sane documentum, Originum libris Sallustiana fragmenta inesse, illud est quod legitur 14, 3, 37. Plurima quidem quae de Cappadocia ibi traduntur ex Orosio et Solino desumpta videntur: exceptis enim verbis « *quos habuere Amazones* » prior paragraphi pars (« *Haec in capite Syriae sita — qui spectat contra insulam Cyprum* ») apud Orosium 1, 2 eodem fere modo conscripta exstat (4),

---

(1) Hier. de situ et nom. locorum hebr. p. 202: « *Euphrates, fluvius Mesopotamiae, in paradiso oriens.* (*Porro Sallustius auctor certissimus asserit tam Tigris quam Euphratis in Armenia fontes demonstrari. Ex quo animadvertimus aliter de paradiso et fluminibus eius intelligendum*) ».

(2) Cf. Arevali adn. ad Orig. l. l.: « Clericus in not. ad Onomasticum Hieronymi ex his Isidori verbis arguit, locum Hieronymi esse nunc decurtatum. Fortasse ita est: sed potuit etiam Isidorus simul ex Hieronymo et Sallustio, aut alio, qui Sallustium expressisset, sententiam suam excerpere ».

(3) « *Cappadociam urbs propria nuncupavit. Haec in capite Syriae sita ab oriente Armeniam tangit, ab occasu Asiam minorem, ab aquilone mare Cimmericum et Themiscyrios campos quos habuere Amazones, a meridie vero Taurum montem, cui subiacet Cilicia et Isauria usque ad Cilicium sinum, qui spectat contra insulam Cyprum. Terra eius ante alias nutrix equorum. Halys amnis per eam fluit, qui quondam Lydiae regna disiunxit a Persis* ».

(4) « *In capite Syriae Cappadocia est, quae habet ab oriente Armeniam, ab occasu Asiam, ab aquilone Themiscyrios campos et mare Cimmericum, a meridie Taurum montem, cui subiacet Cilicia et Isauria usque ad Cilicinum sinum, qui spectat contra insulam Cyprum* ».

ea quae sequuntur « *Terra eius ante alias nutrix equorum* » apud Solinum 45, 5 occurrunt (1), reliqua vero sola Isidori auctoritate adhuc nitebantur. Nihilosecius totam paragraphum Sallustium auctorem habuisse opinor.

Nam ea quae Orosianis inserta esse paullo antea significavi e Sallustio citantur apud Servium ad Aen. 11, 659 (2), et postrema Isidori verba « *Halys amnis — a Persis* » e tertio Historiarum libro afferuntur in vetere ad Lucanum commentario, ex quo Hermannus Usener « antiquiorum scriptorum frustula quaedam » edidit (3). Duo igitur fragmenta hac paragrapho continentur, quae sine ulla dubitatione ad Sallustium referri possunt; quaeritur, num reliqua quoque, quae ut dixi apud Orosium et Solinum eodem modo leguntur, eiusdem auctoris sint.

Ut a Solino ordiamur, verba « *Terra illa ante alias altrix equorum et proventui equino accommodissima est* » ex auctore nobis ignoto simul cum aliis rebus ad Cappadociam spectantibus transscripta sunt: ignotum tamen earum rerum auctorem Sallustium fuisse suspicor. Vix enim dubium esse potest, quin Sallustius in Historiarum libris de Cappa-

---

(1) « *Terra illa ante alias altrix equorum et proventui equino accommodissima est* ».

(2) « *Tanais fluvius est qui separat Asiam ab Europa, circa quem antea Amazones habitaverunt. Unde se postea ad Thermodonta fluvium Thraciae transtulerunt. Quod etiam Sallustius testatur dicens: Dein campi Threissi* (V. *Themiscyrei*), *quos habuere Amazones, a Tanai flumine incertum quam ob causam digressae* ».

(3) « *Hermanni Useneri de scholiis Horatianis commentatio* (Index lectionum universit. Bern.), *Bernae* 1863 » p. XXX. XXXI scholion ad Lucanum 3, 272 hoc praebet emendatum: « *Qua Croeso fatalis Halys: fluvius Asiae interioris,* Κροίσου *regnum et* Κύρου *medius terminabat. erat autem Cyrus rex Persarum, Croesus Lydorum. cum inter hos certamen de imperio ageretur, Croesus consuluit Apollinem, cui hoc responsum est:* Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει. *et Sallustius hoc tetigit in historiae libro III: per hos Halys fluit qui quondam Lydiae regna disiunxit a Persicis* ».

docia egerit. Nam Lucullus post pugnam Cyzicenam, qua Pontici regis copias terra marique fregit, recepta Bithynia et Paphlagonia, cum Pontum quoque invasisset, Mithridatem proelio apud Cabira civitatem victum regnum relinquere atque fuga salutem petere coegit. Qui cum a Tigrane, Armeniae rege, susceptus esset, Appius Clodius Mithridatis exposcendi causa missus est; infectis tamen rebus cum esset regressus, Lucullus bellum contra Tigranem moliri coepit. Omnibus ad id comparatis, « *quam maxumis itineribus per regnum Ariobarzanis contendit ad flumen Euphratem, qua in parte Cappadocia ab Armenia disiungitur* », ut ipse Sallustius in Historiis scriptum reliquit (fragm. 10 lib. IV apud Kritzium); per Cappadociam igitur, cui praefectus erat Ariobarzanes, profectum esse Lucullum ut Euphratem fluvium transiret apud Melitenen urbem et ex Sallustio colligitur et e Memnonis τὰ περὶ Ἡράκλειαν (apud Photium 224 p. 238 ed. Beck.) (1). In his rebus enarrandis Sallustium de Cappadociae natura atque incolis similem digressionem quarto Historiarum libro inseruisse, qualem aliis locis de mari Pontico, de Mesopotamia, de Armenia atque de aliis quibusdam terris eum fecisse constat, satis est probabile. At video Sallustianum fragmentum commentario ad Lucanum nobis servatum ex « *historiae libro III* » citari, quam ob causam non quarto sed tertio libro Sallustium de Cappadocia egisse existimari possit. Cum vero Fridericus Kritz, qui totius Sallustiani operis indolem atque historicam dispositionem optime exposuit cum in « *Epistola critica ad Ernestum Wuestemannum* », quae est praefationis loco in vol. III opp. Sallusti (Lipsiae 1853), tum in adnotationibus ad singula fragmenta, et postea denuo in libello qui inscribitur « *Die Fragmente des Sallust, neu geordnet*

(1) « Λεύκολλος δὲ εἰς τὴν Καππαδοκίαν ἐληλυθὼς καὶ φίλον ἔχων τὸν ἐπάρχοντα ταύτης Ἀριοβαρζάνην διέβη τε παρὰ δόξαν πέζῃ τὸν Εὐφράτην ».

und erklaert, Erfurt 1857 », nihil omnino protulerit de Sallustiana hac digressione ad Cappadociam spectante, in dubio relinquatur necesse est, quem locum in Historiis ea obtinuerit. Utut id est, nobis satis esse videtur significasse, Sallustium de Cappadocia egi potuisse: alii iudicent, utrum tertio an quarto libro hoc factum sit.

Ex iis quae supra exposui coniecturae iam locus datur, Solini verba de Cappadocia (45, 4. 5), quorum pars apud Isidorum quoque legitur, ad Sallustium pertinere.

Restat ut de Orosi loco (1, 2) sententiam proferamus. Qua in re ad Theodorum de Moerner recurrendum est, qui de Orosi fontibus omnium accuratissime disputavit in libro cui inscriptum est « *De Orosii vita eiusque historiarum libris septem adversus paganos, Berolini* 1844 », unde colligitur (pag. 85) brevem terrarum descriptionem secundum caput primi libri Orosiani operis amplectentem e cosmographia, quae Aethici vel Ethici nomine circumfertur (1), ad verbum esse haustam. Nobis neque de Ethico disputare in animo est, neque de cosmographia quae ei adtribuitur; illud tantum pronuntiare liceat, totam Isidoriani de quo agimus loci dispositionem coniecturam suppeditare, inter cosmographiae fontibus auctorem fuisse, qui nescio quo modo ad Sallustium respexerit. Illud tamen vix diiudicare possumus, Isidorus utrum Orosium tam saepe adhibitum hoc quoque loco exscripserit, an pendeat ex ipso Sallustio, quamvis huius verba « *(campi Themiscyrei) quos habuere Amazones* » Orosianis tam bene inserta nos inducant, ut omnia quae de Cappadocia tradantur ex uno fonte manasse existimemus.

---

(1) Duae sunt cosmographiae Ethici nomine insignitae, quarum altera tantum (quae est in Gronoviana editione Pomponi Melae, Lugd. Bat. 1722, p. 723-733) Orosius usus est.

Verba denique in initio paragraphi posita « *Cappadociam urbs propria nuncupavit* » Isidori esse manifestum est.

5. *Orig.* 14, 3, 39.

Breviter disseratur de loco Isidori, in quo de Bithynia agitur ex Solino et Servio, ut videtur. Nulla quidem apud Isidorum Sallusti mentio fit, ad hunc tamen referri debere partem illius paragraphi peculiariter docet Servius ad Aen. 5, 373: « *Bebrycia autem ipsa est Bithynia. Sallustius: Igitur introrsus prima Asiae Bithynia est, multis antea nominibus appellata. Ipsa enim est et maior Phrygia* »; iterumque ad Aen. 5, 203: « *Sallustius: Igitur introrsus prima Asiae Bithynia est* ». Sallusti verba ad Aen. 5, 373 relata in Originibus leguntur auctore ut dixi non nominato, reliqua omnia desumpta videntur e Solino (1), qui ex ignoto auctore sua hausit. Quod si vero animadvertimus, miro quodam modo Sallusti quem Servius exhibet locum tribus particulis resecatum Solinianis inspersum esse, ita quidem, ut optime utriusque ut videtur scriptoris verba apud Isidorum sibi conveniant (2), de Sallustio et Isidori et Solini fonte hic quoque cogitari oportet. Illud quidem ab Isidori

---

(1) 42, 1. 3: « *Bithynia in Ponti exordio ad partem solis orientis adversa Thraciae, opulenta ac dives urbium... ante Bebrycia dicta, deinde Mygdonia, mox a Bithyno rege Bithynia.... In Bithyno quoque agro Libyssa locus Nicomediae proximus, sepulcro Hannibalis famae datus: qui post Carthaginense iudicium transfuga ad regem Antiochum... veneni mali poculo animam expulit* ».

(2) Quo planius res intellegatur Isidori verba subieci: quae inclinatis litteris expressa sunt cum Sallustio apud Servium congruunt, quadratis litteris distincta concinunt cum ignoto auctore apud Solinum: « *Prima Asiae* minoris *Bithynia* IN PONTI EXORDIO AD PARTEM SOLIS ORIENTIS, ADVERSA THRACIAE iacet, *multis antea nominibus appellata.* Nam PRIUS BEBRYCIA DICTA, DEINDE MYGDONIA, MOX A BITHYNO REGE BITHYNIA nuncupata. *Ipsa est et maior Phrygia.* NICOMEDIA in ea urbs est, ubi HANNIBAL FUGIENS HAUSTU VENENI ANIMAM EXSPIRAVIT ».

exscribendi ratione non abhorret, quod duorum auctorum tam saepe adhibitorum verba coniunxerit, nec mirum esse potest quod Sallustium a Servio nominatum silentio praeterierit: attamen rerum atque verborum affinitas et similitudo ea est, ut vix crediderim, ab Hispalensi episcopo Sallustiana verba Servi tam apte sciteque inserta esse Solinianis.

6. *Orig.* 14, 6, 8 (1).

Obiter tantum inspicienti quae de Fortunatis insulis tradidit Isidorus inde a verbis « *suapte enim natura* », occurrit periodorum structura singularis ac proprius dicendi modus, *suapte* inprimis vocabulum indicare videtur certum quendam auctorem. Verba quidem quae sunt « *Unde gentilium error — paradisum putaverunt* » ab antecedentibus differunt ita, ut ipsi Isidoro ea assignanda videantur. Tota vero de Fortunatis insulis paragrapho cum duobus quae ex Sallustio nobis supersunt vel ad eum referri possunt fragmentis eiusdem argumenti accuratius comparata, omnes, opinor, videant necesse erit, Sallustium ex Isidoro perlucere.

Et primum quidem haec exstant apud Nonium VIIII p. 338 (ed. Gerl. et Roth) ex Sallustio: « *cuius duas insulas, propinquas inter se et decem stadium procul a Gadibus, satis constabat* *s u o p t e* *ingenio alimenta mortalibus gignere* ». Servius (ad Aen. 5, 735) praeterea: « *Secundum philosophos* » inquit « *Elysium est insulae Fortunatae: quas* [μακάρων νήσους *vocant quasque*] *ait Sallustius inclitas esse Homeri carminibus* ». Sufficerent ea, quamvis pauca, ad

---

(1) « *Fortunatarum insulae vocabulo significant ferre omnia bona, quasi felices et beatae fructuum ubertate. Suapte enim natura pretiosarum poma silvarum parturiunt. Fortuitis vitibus iuga collium vestiuntur. Ad herbarum vicem messis et olus vulgo est. Unde gentilium error et saecularium carmina poetarum propter soli fecunditatem easdem esse paradisum putaverunt. Sitae sunt in Oceano contra laevam Mauretaniae, occiduo proximae et inter se interiecto mari discretae* ».

confirmandam opinionem, Isidori de Fortunatis insulis fragmentum fere totum ex Sallustio pendere, etiamsi non haberemus Plutarchi locum e Sallustio expressum, qui optime huc facit. In vita enim Sertori cap. 8 haec tradidit de Fortunatis insulis: οὐ μόνον ἀροῦν καὶ φυτεύειν παρέχουσιν ἀγαθὴν καὶ πίονα χώραν, ἀλλὰ καὶ καρπὸν αὐτοφυῆ φέρουσιν....... ὥστε μέχρι τῶν βαρβάρων διῖχθαι πίστιν ἰσχυρὰν, αὐτόθι τὸ Ἠλύσιον εἶναι πεδίον καὶ τὴν τῶν εὐδαιμόνων οἴκησιν, ἣν Ὅμηρος ὕμνησε. Quibus cum duobus Noni et Servi fragmentis cumque narratione in Originibus nobis asservata comparatis dubium esse non potest, quin re vera ad Sallustium referenda sint verba Isidori; illa quoque quae ab ipso Isidoro interposita videbantur non iisdem quidem verbis, at simili modo apud Sallustium fuisse existimarim.

Fieri non potest quin commemorem, apud Mamertinum (Gratiarum actio Iuliano aug. cap. 23) haec legi: « *Habitari ab iustis viris terras in Oceano ferunt, quas Fortunatorum insulas vocant, quod per eas non arato solo frumenta nascuntur, fortuitis vitibus iuga collium vestiuntur, sponte pomis arbor gravatur, ad herbarum vicem olus vulgo est* ». Mira quidem ea cum Isidorianis similitudo; neque tamen e Mamertino fluxisse videtur Originum locus iisdem verbis expressus (« *Fortuitis vitibus iuga collium vestiuntur. Ad herbarum vicem messis et olus vulgo est* »), cum nihil praeterea apud eum inveniatur quod aut simili aut eodem modo ab Isidoro traditum sit. Panegyrici igitur auctor si non e Sallustio deprompsit illa verba, eum fortasse exscripsit, qui Sallustium adhibuit.

Postrema denique huius paragraphi verba « *Sitae sunt in Oceano contra laevam Mauretaniae, occiduo proximae et inter se interiecto mari discretae* » cum Solinianis (56, 14) (1) fere respondeant e Solino petita videntur.

(1) « *Fortunatas insulas certe contra laevam Mauretaniae accepimus*

7. *Orig.* 14, 6, 39-41 (1).

In enarrandis Sardiniae atque Corsicae rebus memoratu dignis Isidorus Sallustium potissimum auctorem secutus est. Multa enim ibi occurrunt, quae ab aliis quoque scriptoribus ex Sallustio nominato auctore proferuntur, quod a Gellio (Noct. Att. 13, 30, 5) et Prisciano (Inst. 6, 15, 80) factum esse videmus, quos Isidorus nunquam fontes adhibuit; tum nonnulla cum Solino miro modo conspirant, ubi is ex auctore nobis ignoto hausit, quaedam denique sola Isidori auctoritate nituntur. Solini igitur atque Sili Ital. (12, 355 sqq.) ex eodem fonte haurientis nec non Pausaniae consensu cum Isidoro permotus Kritzius non dubitavit, initium paragraphi 39 « *Sardus Hercule procreatus — insulae nomen dedit.* » inter Sallustiana fragmenta recipere (2). Et recte quidem. Sed reliqua Isidoriana usque ad finem paragraphi 40 non erant

---

iacere, quas Iuba sub meridie quidem sitas, sed proximas occasui dicit ».

(1) « 39. *Sardus Hercule procreatus cum magna multitudine a Libya profectus Sardiniam occupavit et ex suo vocabulo insulae nomen dedit. Haec in Africo mari facie vestigii humani in orientem quam in occidentem latior prominet, ferme paribus lateribus, quae in meridiem et septentrionem vertunt, ex quo ante commercium a navigantibus Graecorum* Ἴχνος *appellata.* 40. *Terra patet in longitudinem milia* CXL, *in latitudinem* XL. *In ea neque serpens gignitur neque lupus, sed solifuga tantum, animal exiguum hominibus perniciosum. Venenum quoque ibi non nascitur, nisi herba per scriptores plurimos et poetas memorata, apiastro similis, quae hominibus rictus contrahit et quasi ridentes interimit. Fontes habet calidos Sardinia, infirmis medellam praebentes, furibus caecitatem, si sacramento dato oculos aquis eius tetigerint.* 41. *Corsicae insulae exordium incolae Ligures dederunt, appellantes eam ex nomine ducis. Nam quaedam Corsa nomine Ligur mulier, cum taurum ex grege, quem prope littora regebat, transnatare solitum atque per intervalla corpore aucto remeare videret, cupiens scire incognita sibi pabula, taurum a ceteris digredientem usque ad insulam navigio prosecuta est. Cuius regressu insulae fertilitatem cognoscentes Ligures ratibus ibi profecti sunt eamque nomine mulieris auctoris et ducis appellaverunt* ».

(2) Fragmentum 4 libri II.

spernenda: nihilosecius fere omnia reicienda censuit Kritzius, propterea nimirum, quod incerta essent quae re vera ad Sallustium pertinerent (1). Fere omnia, inquam; nam quae deinde leguntur apud Isidorum « *Haec in Africo mari facie vestigii humani, in orientem quam in occidentem latior prominet* » ut Sallustianum fragmentum exhibuit (2), neque tamen ex Originibus eà referens, sed Gellium atque Nonium secutus qui eadem attulerunt ex secundo Historiarum libro (3). Qua in re tantum abest ut Kritzio crimini vertam quod Gellium et Nonium sequi consultius duxerit, ut in eo reprehendendus videatur quod non perspexerit, verba quae statim sequuntur « *ferme paribus lateribus, quae in meridiem et septentrionem vertunt* » artissimo nexu cum praecedentibus cohaerere neque ab iis divelli posse. Grialium non fugit verborum cognatio (4), omnesque cum eo consentiant necesse est, qui attentius paullulum hunc locum in examen vocaverint. Num etiam verba « *ex quo ante commercium a navigantibus Graecorum* ἴχνος *appellata* » simili modo apud Sallustium superioribusque coniuncta Isidorus legerit, affirmari quidem non potest, Solinus tamen id annuere videtur cum dicat

---

(1) V. Kritzium ad fragm. 2 libri II.

(2) Fragmentum 2 libri II.

(3) Gell. n. a. 13, 30 (29), 5: « *Sallustii verba sunt ex historia secunda: Sardinia in Africo mari facie vestigii humani in orientem quam occidentem latior prominet* ». — Non. I de propr. serm. p. 37 ed. Gerl.: « *Sallustius Historiarum lib. II: Sardinia in Africo mari, facie vestigii humani, in occidentem quam in orientem latior.* » [NB. Gell. et Isid.: in *orientem* quam in *occidentem* latior]. — Eiusdem loci partem Isidorus rettulit Sallustio nominato (Orig. 14, 7, 1: « *Sic Sallustius de Sardinia: in orientem quam in occidentem latior prominet* »), nescio utrum ex alio scriptore transscriptam an ex Orig. 14, 6, 39 repetitam.

(4) Grialius in adn.: « In Orientem quam in Occidentem latior: locus est ex lib. 2 histor. Sallustii, citatus ab Agell. lib. 13 c. 28, cui ex Isidoro addi haec possunt: ferme paribus lateribus, quae in meridiem et septentrionem vertunt ».

(4, 1): « *Sardinia quoque, quam apud Timaeum Sandaliotin legimus, Ichnusam apud Crispum* » (1), et Pausanias Sallusti ut videtur vestigia premens tam prope ad Isidorum accedit, ut verisimillimum id fiat: (10, 17, 1) Ἑλλήνων οἱ κατ' ἐμπορίαν ἐσπλέοντες Ἰχνοῦσαν ἐκάλεσαν, ὅτι τὸ σχῆμα τῇ νήσῳ κατ' ἴχνος μάλιστά ἐστιν ἀνθρώπου. Cf. etiam Sil. Ital. 12, 355 sqq.:

Insula fluctisono circumvallata profundo
castigatur aquis, compressaque gurgite terras
enormes cohibet nudae sub imagine plantae.
Inde Ichnusa prius Graiis memorata colonis,
mox, Libyci, Sardus, generoso sanguine fidens
Herculis, ex sese mutavit nomina terrae.

Quae cum ita sint haud sane intellego, cur Kritzius alteram huius paragraphi partem Sallustio abiudicaverit, cum iisdem ac supra auctoribus niti liceret.

Sed pergamus. Ita Kritzius (ad fragm. 2 libri II): « Quod Isidorus Sardiniam XL milia passuum in latitudinem patere dicit, sive ex Sallustio hausit, sive ipse tradit, haud dubie falsum est. Quare ut numeri ratio propius ad veritatem accedat, coniicio pro XL inverso ordine esse scribendum LX; quamquam autem ne hoc quidem satis accuratum est (cf. Mannerti Geogr. Graec. et Rom. vol. IX p. II p. 470), tamen sic uterque numerus fere cum eo congruit, quem Pausanias X, 17, 1 prodidit ». Quibus nihil fere mihi addendum est; numeri enim procul dubio corrupti sunt (2). Excepta vero numerorum discrepantia eodem modo de longitudine ac latitudine insulae Sallustius egisse

(1) « Pro Crispo Plinius [ex quo hausit Solinus] citat Myrsilum; videtur autem Solinus non tam errasse, quam ad Plinium adnotatum reperisse haec item referri a Sallustio, quem constat similia narrasse in historiis » Mommsen ad Solin. 4, 1.

(2) Etiam vetustissimus cod. Carolinus Guelferbytanae bibliothecae CXL et XL habet.

videtur: ita enim Pausanias 10, 17, 1: μῆκος δὲ αὐτῆς εἴκοσι στάδιοι καὶ ἑκατόν εἰσι καὶ χίλιοι· εὖρος δὲ ἐς εἴκοσί τε καὶ τετρακοσίους [πεντήκοντα].

Quae deinde apud Isidorum sequuntur de Sardiniae animalibus, de Sardonia herba, de fontibus calidis similiter ea omnia a Solino (4, 2. 3. 6. 7) traduntur ex ignoto fonte, et Servius insuper *ex Sallustio* iisdem fere verbis ac Isidorus venenosae herbae apiastro similis naturam describit (Serv. ad B. 7, 41). Quid mirum? Solinum atque Servium tot tantisque locis adhibitos auctores Isidorus hic quoque exscripsit. Minime; accedit enim Pausanias, ut vix dubitari possit, quid censendum sit.

Orig. 14, 6, 40:	Pausanias 10, 17, 12. 13:
In ea neque serpens gignitur *neque lupus*, sed solifuga tantum.... *Venenum quoque ibi non nascitur* nisi herba... apiastro similis *etc.*	Ὄφεις δὲ οὔτε οἱ ἐπὶ συμφορᾷ τῇ ἀνθρώπων οὔτε ὅσον ἀνώλεθρον αὐτῶν, οὐδὲ οἱ λύκοι τρέφεσθαι πεφύκασιν... Πλὴν δὲ ἢ βοτάνης μιᾶς καθαρεύει καὶ ἀπὸ φαρμάκων ἡ νῆσος ὅσα ἐργάζεται θάνατον· ἡ πόα δὲ ἡ ὀλέθριος σελίνῳ μέν ἐστιν ἐμφερὴς κ. τ. λ.

Quae in Isidori loco pronis litteris exprimenda curavimus neque Solinus rettulit neque apud alium auctorem leguntur: Pausanias vero, qui hic quoque e Sallustio quodammodo pendere videtur, quamquam de solifuga atque da calidis Sardiniae fontibus a Solino atque Isidoro memoratis nihil habet, lupos tamen atque venen ain Sardinia non reperiri non solum tradidit, sed etiam ita tradidit, ut in rebus enarrandis eundem quem Isidorus secutus sit ordinem.

Quae cum ita sint statuendum esse videtur, Isidorum ex Sallustio sua hausisse, etsi concedendum est — Kritzio assentior —, eum « Sallustianorum verborum haud ita retinentem » fuisse.

Eandem quam nunc demonstravimus affinitatem prodit Isidori locus de Corsica insula (§ 41) cum iis comparatus, quae ex Sallusti historiarum libro II supersunt. « *Corsicae insulae exordium* » inquit « *incolae Ligures dederunt, appellantes eam ex nomine ducis* »: quae optime quadrant ad ea quae Solinus 3, 2. 3 ex ignoto rettulit auctore: « *Inter quas Corsicam plurimi in dicendo latius circumvecti plenissima narrandi absolverunt diligentia, nihilque omissum quod retractanti non sit supervacuum: ut exordium incolis Ligures dederint, ut oppida extructa sint* » etc. Solinum tamen ab Isidoro hic adhibitum non esse, Theodorus Mommsen hisce monuit: « Habet similia Isidorus 14, 6, 41, nec tamen ex Solino ». Et recte quidem; nam unde sua hauserit Isidorus, e narratione de origine nominis Corsicae insulae (1) id sequitur, cuius priora verba ex Sallustio esse testis est Priscianus, auctor ab Isidoro nunquam adhibitus, qui 6, 15, 80 (p. 264 Keil): « *et Ligus quoque Liguris* » inquit « *commune. Sallustius in II historiarum: sed ipsi ferunt taurum ex grege, quem prope litora regebat Corsa nomine, Ligus mulier* ». Prisciani locum cum inter fragmenta reciperet Kritzius (fragm. 13 libri II) Isidori integram rei narrationem repudiavit hanc ob causam: « Ex eodem » inquit « Sallustii loco multa desumpsit Isidorus... sed ita, ut nonnullis quidem verbis servatis orationis formam tamen immutaret, id quod supra ad fr. II, 2 observavimus. Quare Isidori verba non ut novum Fragmentum exhibenda

---

(1) « *Nam quaedam Corsa nomine Ligur mulier, cum taurum ex grege, quem prope littora regebat, transnatare solitum atque per intervalla corpore aucto remeare videret, cupiens scire incognita sibi pabula, taurum a ceteris digredientem usque ad insulam navigio prosecuta est. Cuius regressu insulae fertilitatem cognoscentes Ligures ratibus ibi profecti sunt eamque nomine mulieris auctoris et ducis appellaverunt* ».

putavimus, quemadmodum priores editores fecerunt » etc. Orationis formam ab Isidoro adeo esse immutatam, ut dignus non esset locus qui inter fragmenta reciperetur, non perspicio cur coniecerit vir doctus. Sint licet nonnulla inversa atque aliter expressa, tam arte res ipsae inter se cohaerent, ut nullo modo divelli possint ea, quae verba a Prisciano ex Sallustio laudata atque ab ipso Isidoro relata subinde excipiunt. Isidori sunt fortasse ea tantum quae initio leguntur « *appellantes eam ex nomine ducis* », repetita, ut videtur, ex postremis paragraphi verbis « *eamque nomine mulieris auctoris et ducis appellaverunt* ».

Dubium utrum Isidorus ipse ex Sallusti Historiis laudaverit locum de renonibus (Orig. 19, 23, 4) (1) an ex eo auctore exscripserit, a quo reliqua de natura illius generis vestimentorum mutuatus est (e Suetonio?) vix potest nasci, si rationem animadvertamus quam in scribendo, imo exscribendo fere sequitur Isidorus: cum aliis simul rebus Sallustiana verba exscripta esse conicio, et ita de reliquis quoque locis sentiendum est, ubi ex Sallustio aliquid profertur.

---

(1) « *Renones sunt velamina humerorum et pectoris usque ad umbilicum, atque intortis villis adeo hispida, ut imbres respuant; quos vulgo reptos vocant, eo quod longitudo villorum quasi reptat, de quibus Sallustius: Germani intectum renonibus corpus tegunt* ».

DE IUSTINO

Haud pauci in Originibus occurrunt loci, qui cum Iustini quos habemus historiae Philippicae libris concordant ita, ut ex iis Isidorum sua petisse appareat; unus vero inter omnes eiusmodi est qui ex ipso Trogo profectus esse videatur. Nam initio libri XVIII, ubi de bellis agitur « *Primus* » inquit « *bella intulit Ninus Assyriorum rex. Ipse enim finibus suis nequaquam contentus, humanae societatis foedus irrumpens exercitus ducere, aliena vastare, liberos populos aut trucidare aut subicere coepit universamque Asiam usque ad Libyae fines nova servitute perdomuit. Hinc etiam studuit orbis in mutuo sanguine alterna grassari caede* »; quorum verborum exigua tantum pars apud Iustinum legitur, qui (1, 1) « *Primus omnium* » inquit « *Ninus rex Assyriorum veterem et quasi avitum gentibus morem nova imperii cupiditate mutavit. Hic primus intulit bella finitimis, et rudes adhuc ad resistendum populos terminos usque Libyae perdomuit* ». Plenius igitur Isidorus eandem refert rem, quam Iustinus angustiis epitomae definivit, ut Grialius non abs re ad Isidoriana verba adnotaret: « Ex Iustino, aut fortasse etiam e Trogo; aliquanto enim haec ampliora quam apud Iustinum, neque eiusmodi, ut ab Isidoro aucta videantur ». Isidori certe non est neque illorum verborum elegantia neque rerum expositio: de Trogo tamen Isidori fonte cum ex reliquis qui in Originibus cum Iustino

concinunt locis nihil ad confirmandum colligi potest, tum inde cogitari non licet, quod Isidori aetate, postquam per quattuor fere saecula in usu fuerat Iustini breviarium, Trogi historiarum libros penitus interisse credibile est. Ad ipsum tamen Trogum referendum esse locum, quem de Nino nunc legimus in Originibus, nihilosecius existimaverim: eum quippe Isidorus exscripsit auctorem, qui Trogum adhibuit.

Indolem denique rerum e Iustino in Etymologiarum libros receptarum si spectamus, eiusmodi fere omnia ea esse videmus, quae ad instituta ac mores populorum pertineant et in terrarum situ describendo versentur. Neque mirum: illius enim generis esse solent quae Isidorus ex historiarum auctoribus exscribit.

DE HEGESIPPO

Liber qui Hegesippi nomine circumfertur — vulgo inscribitur « Hegesippus qui dicitur seu Egesippus de bello iudaico » —, antiquissimorum vero codicum testimonio Ambrosium auctorem habuit (1), continet Iosephi narrationem belli iudaici in latinum sermonem ita versam, ut partim breviata partim aucta sit. Quod J. Caesar pluribus exposuit de Hegesippo Isidori fonte (2) iam antea Grialius in adnotationibus obiter indicaverat, uterque tamen rem in medio reliquit non absolutam.

Operae igitur pretium erat, Ambrosi Iosephum diligentius perlustrare, in quo praeter multa ad Palaestinae terrae descriptionem pertinentia leguntur etiam alia rerum gestarum expositioni et rhetoricae artis ornamentis inserta, quae naturae ac rationi Isidoriani operis optime convenire debebant. Et ita factum est, ut omnes loci ab Isidoro aut exscripti aut adhibiti colligi potuerint.

Neglexit Isidorus, ut in historiarum scriptoribus solet, omnia quae ad rerum gestarum expositionem attinent, adhibuit vero, aut exscripsit multa quae de geographia ibi leguntur et quae Ambrosius de aliis quibusdam rebus aliunde petita Iosepho addidit.

---

(1) Cf. Reifferscheid in « *Sitzungsberichte der k. Acad. der Wissensch. zu Wien* » 56 (1867) p. 442: « Dass der Verfasser dieses Auszuges aus Josephus Ambrosius ist, hätte nie bezweifelt werden sollen, da derselbe durch die Autorität der ältesten Handschriften als solcher beglaubigt ist ».


(2) Hegesippus qui dicitur etc. ed. C. F. Weber, opus morte Weberi interruptum absolvit Julius Caesar, Marburgi 1864 p. 394 sq.

DE OROSIO

Pauca sunt dicenda de Orosio, cuius historiarum libros adversus paganos ab Isidoro adhibitos esse iam antea constabat ex Grialii adnotationibus: ita enim in exscribendo Isidorus versatus est, ut iisdem plerumque verbis redderet fontem. Animadvertendum vero est, secundum praecipue primi libri caput, orbis terrarum brevem descriptionem continens (1), Hispalensem episcopum excerpendum sibi proposuisse: quae praeterea inde transscripta leguntur de diluviis (Orig. 13, 22, 2-4) ex primo quoque libro (1, 3. 7. 9), reliqua vero de natura ac moribus Burgundionum atque Saxonum (Orig. 9, 2, 99. 100) ex septimo (7, 32), de Costantinopoli urbe (Orig. 15, 1, 42) ex septimo et tertio (7, 28; 3, 13), de piraticis bellis (Orig. 18, 1, 5) e sexto (6, 4), de celia potione (Orig. 20, 3, 18) ex quinto (5, 7) petita sunt, ut nihil fere rerum ad historias pertinentium in Originibus inveniatur ex Orosio.

---

(1) Cf. quae de Orosio (lib. 1 cap. 2) dixi p. 25.



DE PLINIO

Cum ex operis instituto Isidorum non etymologias tantum congerere, verum etiam in describendis illustrandisque rebus operam impendere sibi proposuisse liqueat, mirum sane esset, si Pliniana tot tantisque rebus referta scrinia neglexisset, ex quibus parvo negotio quod quaerebat, et verborum derivationem et rerum descriptionem, in suum convertere posset usum. Acceptissimum igitur fontem volumina de naturae historia Isidorus adhibuit passimque ex iisdem multa in Originum libros transtulit, id quod iam pridem et Isidori et Plini editores observarunt, quorum hi locos ab Hispalensi episcopo exscriptos ad emendanda Plini verba in partes vocaverunt.

Quod si nunc paullo diligentius consideramus quae in Etymologiarum libris exstant e Plinio hausta, primum apparet, Isidorum in exscribendo saepe ita esse versatum, ut aut nihil immutato vel omisso ad verbum Plinium redderet, aut — quod plerumque factum est — hinc inde carpendo quae memoratu digna viderentur Pliniana verba suo conglutinaret modo nec quidquam aliunde adnectens. Multa deinde inveniuntur, quae nonnisi ad sensum Plini sententias referunt, ita tamen ut de auctore nequeat dubitari, cum nonnulla ipsius verba Isidorus retinuerit. Exempla quoque non desunt, in quibus inter Pliniana miro artificio aspersa inveniuntur quae ex Solino et Augustino affluxerunt. Ea denique praetereunda non sunt, quae cum haud dubie ex Plinio

sint derivata, tamen quaedam ignoti ut videtur auctoris continent: nam Plinius aut alio modo rettulit de eadem re aut nihil omnino protulit. Quaerendum igitur est, utrum pleniorem vel interpolationibus auctum Plini codicem Isidorus adhibuerit, an ipse miscuerit Plinianis nonnulla ex auctore nobis ignoto deprompta. De integriore Plini codice conici posse I. Silligius confirmat, qui in praefatione ad Plinium (Hamburgi et Gothae 1851) p. XLII: « Ex codice » inquit « satis memorabili excerpta sua Pliniana Isidorus Hispalensis sumpsit in etymologiarum libris, de cuius operis, uti nunc habetur, auctoritate in Plinio emendando difficile est iudicatu. Id hoc loco uberius exponere longum est et satius videtur lectores quorum refert ad Iani doctam novissimae Isidori editionis censuram diurnis antiquariis 1837 n. 84. 85. 86 insertam remittere. Certo scimus codicem quo usus est Isidorus integriorem et pleniorem fuisse codicibus praeter Bambergensem omnibus (v. ad 34, 95. 37, 154), subinde ex eo solo veras in Plinii orationem scripturas recipiendas fuisse (37, 148. 197), neque tamen corruptelas vulgares ab eo abesse, uti aliquo in loco Isidoro ex Plinio restituendum est aerosus pro erosus »; quibuscum coniungenda sunt quae Ianus in censura Silligianae ad Plinium praefationis disseruit in « *Zeitschrift für d. Alterthumswissensch.* » 7 n. 57: « In Betreff des Isidorus Hispalensis bestätigt er das vom Referenten früher (Ztschr. f. d. Alterthumsw. 1837 n. 84 ff.) ausgesprochne Urtheil, dass er eine der bamberger ähnliche Handschrift benutzt hat, welche an manchen Stellen vollständiger war, als alle sonst bekannten ». Tantum abest, ut de pleniore Plini codice ab Isidoro adhibito dubitem, ut non omnium quae inter Pliniana inserta inveniantur originem inde esse ducendam existimem: alium quippe auctorem praeterea exscripsit Isidorus, neque tamen Plinianam chorographiam a Solino, Apuleio, Ammiano adhi-

bitam, sed librum fortasse eundem, quem ecclesiastici scriptores Ambrosius, Hieronymus, Augustinus secuti sunt: tanta est enim interdum similium rerum ab iis et ab Isidoro expositarum et affinitas et dissimilitudo, ut Isidorus eundem quem illi auctorem exscribere, neque tamen semper eadem ac illi in suum usum convertere videatur, id quod in capitibus quae de quadrupedibus, de avibus etc. agunt accidere solet. Eundem denique ignotum auctorem illum esse existimo, quem et Isidorus adhibuit et Epiphanius in libro qui Physiologus inscribitur.

Ut in ceteris auctoribus ita etiam in Plinio exscribendo maxima interdum levitate usus est Hispalensis episcopus: non desunt enim exempla quae doceant, eum, integro loco posito, primam quoque subsequentis periodi vocem transscripsisse. Cuius generis haec exempla relatu digna videntur:

Orig. 16, 2, 3:	Plin. 31, 77:
Sunt et montes nativi salis, in quibus ferro caeditur, ut lapis renascens [maius] (1).	Sunt et montes nativi salis, ut in Indis Ormenus, in quo lapicidinarum modo caeditur renascens, maiusque regum vectigal ex eo est quam ex auro *etc.*
Orig. 12, 6, 25:	**Plin. 32, 8. 9. 70. 138. 139:**
Mullus vocatus quod mollis sit atque tenerrimus: cuius cibo tradunt libidinem inhiberi, oculorum aciem hebetari: homines vero, quibus saepe pastus, piscem olent. Mullus in vino necatus, hi qui inde biberint taedium vini habent.	8. Non sunt minus mira quae de lepore marino traduntur. venenum est aliis in potu aut in cibo datus... vescitur eo unum tantum animalium ut non intereat, mullus piscis. tenerescit tantum et inertior viliorque fit. 9. homines quibus inpactus est piscem olent, hoc primo argumento veneficium id deprehenditur. 70. Mullorum cibo aciem oculorum hebetari tradunt. 138. Mullus in vino necatus vel piscis rubellio vel anguillae duae, item uva marina in vino putrefacta iis qui inde biberint taedium vini adfert. 139. Venerem inhibet echeneis *etc.*

(1) Vocem *maius* add. vulg., omiserunt Grial., Arev., Otto Plinium secuti.

Mullo igitur Isidorus tribuit quod de echeneide tradit Plinius, et quod is de lepore marino narrat, ad mullum refert Hispalensis antistes: iis videlicet quae apud Plinium de lepore marino leguntur pauca interiecta sunt de mullo pisce, et quod Plinius echeneidi adscribit statim sequitur ea quae dicta sunt de mullo: ita ex Plinio episcopale ius de mullo profluxit, quale ne Apicio quidem componere contigit.

Huc quoque spectat locus Isidori 12, 6, 36 (1) ubi milagini pisci ea tribuuntur, quae de lolligine Plinius scriptum reliquit (32, 15) (2).

Quomodo denique Plinium haud raro adhibuerit Isidorus ex his potissimum exemplis colligatur:

Orig. 12, 6, 45 e Plin. 32, 7;

Orig. 16, 20, 5-7 e Plin. 34, 94 (quod Plinius de coronario aere tradit, pyropo Isidorus adscribit; at fortasse § 6 medela eget).

(1) « *Milago nominatus quia evolat super aquam. Quoties autem cernitur extra aquam volitans, tempestates mutari designat* ».

(2) « *Lolligo quotiens cernatur extra aquam volitans tempestates mutari Trebius Niger auctor est* ».

DE SOLINO

C. Iuli Solini collectanea rerum memorabilium ab Isidoro in Etymologiarum libris saepenumero adhibita atque transscripta esse cum Grialius et Arevalus passim in adnotationibus rettulerunt tum Mommsenus demonstravit in editione Solini (Berolini 1864), qua normam quasi quandam auctoris ad fontes suos revocandi constituit. In adnotationibus enim ad contextum verborum ea indicavit quae ab Isidoro aut adhibita aut compilata aut exscripta sunt, et in praefatione operis p. XXX de ratione qua Isidorus in exprimendis Solinianis usus est haec tradidit: « Similiter Isidorus Hispalensis († c. 636) in libro de natura rerum Solinum citat nominatim. eundem in etymologiis etsi ex operis instituto auctores non adscribit, tamen multis locis pendere ex Solino cum propter alia argumenta certum est tum quod interdum ita erravit, ut ipsa Solini verba ante oculos eum habuisse pateat. sic 14, 3, 32 ex Solini loco p. 96, 11: ‘ Heniochorum montes Araxen, Moschorum Phasidem fundunt’ haec effecit: ‘ habet et flumina magna Oscorum Phasidem atque Araxen ’ ; quem errorem Isidorus, si hoc loco Solini auctorem Plinium neque ipsum Solinum secutus esset, nequaquam commisisset. adhibuit tamen Isidorus praeter Solinum etiam ipsum Plinium et saepe ita, ut in eodem capite miscuerit Pliniana et Soliniana ».

Solidum igitur in nostra de Solino Isidori fonte indagatione habebamus fundamentum. Denuo tamen omnia reco-

gnoscenda censui, ea praecipue, ubi Isidorus coniunctos adhibuit Plinium Solinumque, quo factum est ut et in quibusdam ab iis recedendum esset, quae Mommsenus indicavit (1), et index locorum ex Solino transscriptorum qualem exhibet Mommseniana editio aliquantulum auctus nunc pro-

---

(1) *a.* Isidorus (Orig. 2, 12, 4) incredibilis rei exemplum neque ex Plinio (7, 85) neque ex Solino (1, 99) petivit: totum locum simul cum exemplo ex fonte nobis ignoto exscriptum censeo.

b. Locus Solini 49, 6 « *hoc est — iungitur* » ab Isid. 9, 2, 62 compilatus non est, ne adhibitus quidem videtur.

c. Verba Isidori 12, 1, 18 « *Hi serpentium — reparantur* » etsi maxima ex parte eodem fere modo apud Sol. 19, 15 leguntur, non ex eo petita sunt, sed ex Hieronymi versione Origenis in cant. canticor., id quod verbis « *et superata pernicie veneni eorum pabulo reparantur* » demonstratur, quae desiderantur apud Solinum.

d. Solini verba (45, 12) « *Affectum equinum lacrimae probant* » ab Isidoro 12, 1, 43 adhibita non videntur, qui ad Plinium 8, 157 potius respexit.

e. Cf. Sol. 52, 40, ubi verba tantum « *cornu — perforetur* » ab Isid. 12, 2, 12 adhibita sunt, qui reliqua ex Gregorio (moral. 31, 15, 29, p. 1010 A. B) transscripsit.

f. Cf. Isid. 12, 2, 22, qui verba « *carnem quandam — componit* » non ex Sol. 26, 5 sed e Serv. ad G. 3, 247 hausit.

g. Locum de basilisco Isidorus 12, 4, 7 sumpsit ex Solino 27, 51. 53 (Momms.: « aut ex Plinio aut ex Solino »).

h. Cf. Sol. 27, 30 ubi etiam verba « *in hoc tamen — ponit* » ab Isidoro 12, 4, 19 adhibita videntur.

i. Cf. Isid. 12, 6, 41 cuius verba « *Ferunt autem — gignere* » ad Solinum 52, 41 rettulit Mommsenus. Cum vero Plinius, quem Solinus fontem habuit, iisdem fere verbis rem tradat et Isidorus neque hunc neque illum ad verbum expresserit, dubium est utrum ex Plinio an ex Solino petitus sit locus.

k. Monuit Mommsenus ad Sol. 52, 2, male adhibitum esse locum ab Isid. 13, 13, 6: recte quidem, si ex duabus diversis rebus ibi de Asphaltite traditis « *animal non habet* » et « *nihil in eo mergi potest* » Isidorus confinxisset unum hoc: « *nihil mergi potest* (in eo sc.) *quicquid animam habet* ». Solinum tamen non adhibuit Isidorus, sed Plinium exscripsit, apud quem quae leguntur 2, 226 melius respondent Isidorianis quam Soliniana, et quae 5, 72 exstant ita rettulit Isidorus, ut sensum non immutaret mutatis verbis.

l. Cf. Isid. 13, 13, 10 ubi quae de fonte Epirotico traduntur non ex Sol. 7, 2 sed ex Aug. de civ. dei 21, 5, 1 petita sunt.

dierit: pauca sane virum doctissimum fugerunt, nam quae praeterea huc illuc Solino adiudicavi tam parvi sunt momenti, ut vix enumeranda videantur (1). Novi qui accesserunt loci hi sunt:

Orig.	ex	Solino
5, 33, 4	. . . .	1, 40 (?)
8, 8, 3	. . . .	2, 18
8, 5	. . . .	2, 17
9, 5, 21	. . . .	1, 69
11, 1, 53	. . . .	1, 71
1, 90	. . . .	1, 94
12, 1, 43	*voce accensi — provocantur*	45, 12
»	*Quidam hostes — petant*	45, 6

---

m. Verba Solini 23, 13 « *Atlanticos aestus — orbis* » ab. Isid. 14, 6, 7 compilata non sunt, qui sua ex Orosio 1, 2 hausit.

n. Solini verba de Creta insula (11, 4) non inter Pliniana recepit Isid. 14, 6, 15: nam quae praeter Soliniana ibi leguntur ea petita sunt ex Hier. in Euseb. chron. p. 13 *b* ed. Schoene et ex Hegesippo 2, 9.

o. Cf. Orig. 15, 1, 29 ubi de Solino (23, 12) fonte dubitari potest.

p. Locus Isidori (16, 4, 4) de asbesto « *Asbestos — exstinguitur* » utrum ex Solino 7, 13 petitus sit an ex Aug. de civ. dei 21, 5, 1 dubitari potest; Augustinum tamen et Plinium 37, 146 fontes fuisse crediderim.

q. Solini locum de galactite (7, 4) non totum adhibuit Isidorus (16, 10, 4), qui plurima ex Plinio 37, 162 hausit.

r. Cf. Orig. 16, 11, 1: non Solinus 5, 25, sed Plinius 37, 139 exscriptus est.

(1) Cf. inter alia Orig. 12, 2, 24, ubi verba « *post longa ieiunia* » ex Sol. 2, 37 transscripta sunt. — Cf. Orig. 12, 4, 5: « *Gignitur autem in Aethiopia et India in ipso incendio iugis aestus* » ex Sol. 30, 15: « *inter quae incendia iugis aestus draconum magna copia est* »; Orig. 13, 21, 34: « *Baetis fluvius, qui et Baeticae provinciae nomen dedit* » ex Sol. 23, 8: « *Hiberus amnis toti Hispaniae nomen dedit, Baetis provinciae* ». — Verba Isidori 12, 4, 29: « *Exiliunt* (iaculi sc.) *enim in arboribus, et dum aliquod animal obvium fuerit, iactant se super illud et perimunt* » haud scio an ad Solinum 27, 30 (« *Iaculi arbores subeunt, e quibus vi maxima turbinati penetrant animal quodcumque obvium fortuna fecerit* ») sint referenda; si ex Solino sunt, etymologiae causa paullulum ea immutavit Isidorus.

Orig.	ex	Solino
12, 6, 16	. . . . .	32, 26 ut videtur
13, 16, 4	. . . . . .	12, 13 ut videtur
14, 3, 33	. . . . . .	17, 4. 8. 11
5, 13	. . . . . .	29, 4. 5
5, 14	. . . . . .	30, 14
6, 15	*a tempore — appellata est*	11, 5
15, 1, 73	. . . . . .	25, 1
16, 7, 2	*sed vitiosi — notas habent*	15, 27.

Cf. quae de Solino (3, 2. 3; 4, 1-7; 12, 13; 42, 1. 3; 45, 5) disserui in capite de Sallustio pag. 33; 29 sqq. 32; 17; 26; 23 sqq.

DE VETERE VITRUVI COMPENDIO QUOD INSCRIBITUR « DE DIVERSIS FABRICIS ARCHITECTONICAE »

Vitruvi de architectura librorum selectas particulas vir quidam ad usum privatum, ut ipse asserit in libelli prooemio XXX capitibus dispositi quem « de diversis fabricis architectonicae » inscripsit, in epitomen redegit, adhibitis et aliorum qui de architectonica arte egerunt libris, quorum quidem nomina reticet. Pauca omnino videntur esse — neque multum quaesivi — quae ex aliis auctoribus inspersit Vitruvianis, e Palladio tamen saepius eum hausisse aperte patet.

Qua aetate floruerit auctor libelli parum constat; « satis antiquum » eum nominat Valentinus Rose Vitruvi editor novissimus (praef. p. XII), alii aliter senserunt. Marinius ad verum propius quam reliqui accessisse videtur, qui cum omnium diligentissime illustraret anonymum in prooemio ad vetus compendium, quod edidit volumine tertio operum Vitruvi (Romae 1836), sub finem quarti saeculi auctorem (Eutropium?) epitomen de qua agitur confecisse existimavit.

Indaganti mihi fontes Isidori cum hunc quoque libellum evolverem mira quaedam cum Isidoro hinc inde sese obtulit rerum et verborum affinitas (1), tantaque in capite

(1) Marinius quidem etsi inter anonymum et Isidorum non ignorabat esse similitudinem et compendium multo ante Isidorum exstitisse censuit, nihil tamen protulit de libello Originum fonte, in

praesertim de generibus colorum inter Isidori verba et ea quae e Vitruvio petierat libelli auctor exstabat similitudo, ut inspecto deinde Vitruvio dubium mihi esse non posset, quin vetus de architectura compendium aut Isidoro fuerit fons aut ex Isidoro quaedam contineret. Accuratius igitur Isidoro cum Vitruvi compendio collato eo perveni, ut iam affirmare non dubitem, Isidori fontibus hunc quoque libellum esse adnumerandum. Quod ut planius demonstretur haec tantum velim mecum animadvertas. Isidorus cum in eo capite quod est de coloribus (1) Plinium fere semper secutus sit, nonnullas tamen paragraphos ex ignoto adhuc fonte petivit ipsisque praeterea Plinianis quaedam aliunde hausta interposuit. At si nunc fere omnia, quorum auctor latebat, in libello de diversis fabricis architecturae invenimus, nonne statuendum erit, Isidorum eo usum esse, praesertim cum in Vitruvi epitome earum rerum nihil omnino proferatur, quae ex Plinio Isidorus exscripsit?

---

prooemio ad compendium vetus (vol. III p. IV) haec adnotans: « D. Isidorum auctorem compendii suspicatur aliquis, una tantum ratione inductus, quod non pauca in compendio et in D. Isidori opere de Originibus communia reperiantur. Dubium profecto non est, quin D. Isidorus plura ex Vitruvii opere excerpserit, et in suum de Originibus opus tamquam in succum et sanguinem converterit; sed hoc tanti non est, ut eum compendii, de quo loquimur, auctorem fuisse credamus... Postremo omnis tollitur suspicio, si advertatur, compendium illud duobus circiter saeculis ante D. Isidorum iam fuisse exaratum, uti ex codice Vaticano secundo licet arguere, quemadmodum supra innuimus ».

(1) Orig. 19, 17.

DE T. LUCRETIO CARO

Non omnes auctores ab Isidoro adhibiti ex eorum numero sunt, qui prosa oratione scripserunt, cum poetarum quoque particulae non paucae in Originum libris exstent (1); in primis autem T. Lucreti Cari libros de rerum natura compilavit. Dubium non est, quin Lucreti carmine re vera usus sit Isidorus, neque ex eo quod Isidoriana interdum non in omnibus respondeant Lucretianis suspicari possumus, eundem adhibitum esse auctorem, ex quo Lucretius sua petiverit. Exemplis enim probatur, Lucreti verba paucis immutatis in Originum libris transscripta exstare, imo haud raro ita esse recepta, ut ex verborum contextu nunc statim exsiliant poeticae dictiones atque versuum particulae, quas integras Isidorus iis inseruit, quae de suo posuit vel ex Lucretianis confinxit. Ita factum est, ut 16, 20, 1 ubi de aeris usu ex Lucretio 5, 1273 sqq. agitur, cum fere omnia quae ibi leguntur versus sapiant, duo adeo Lucreti integri versus (5, 1276. 1277) appositi sint, auctoris nomine suppresso. De Lucretio igitur Isidori fonte dubium esse non potest et iure iam antea Grialius in adnotationibus hinc inde respexisse ad carmen de rerum natura Hispalensem episcopum asseruit, Lachmannus quoque in Lucretiano commentario saepius commemoravit (cf. ad 6, 128 etc.).

---

(1) Inveniuntur inprimis Vergili versus, qui paullulum immutati prosae orationi ita accommodati sunt, ut a reliquis vix discerni possint. Martialis quoque epigramma (14, 30) occurrit ad 18, 7, 4 et Eugeni Toletani versus (carm. XXII) adhibiti videntur 12, 1, 61. Carminis denique de ponderibus, quod Prisciani nomine circumferebatur (Fr. Hultsch, *Metrologicorum scriptorum reliquiae*, Lipsiae 1864-66 vol. II p. 88-98), nonnullos locos exscripsit Hispalensis episcopus.

DE HYGINO

Hygini libris Isidorum usum esse non paucis exemplis comprobari potest, quamquam in exscribendo ita plerumque versatus est, ut immutatis quibusdam Hyginus auctor non semper appareat. Quod vero haud scio an inde sit explicandum, quod non eundem quem nos habemus Hyginum Isidorus adhibuerit: neque tamen integrum dico, sed magis coartatum quam qui ad nos pervenit.

In partes igitur vocavit praeter fabulas libros qui « poeticon astronomicon » inscribuntur quosque non semel nominato Hygino adhibuit in libro de natura rerum (1).

Omnium qui ex Hygino apud Isidorum exstant notatu dignissimus est locus qui legitur 14, 6, 29: « *Historia dicit ex Iasone* [leg. *Iasione*] *natum fuisse Philomelum et Plutum, ex Philomelo Pareantum genitum, qui de suo nomine Paron insulam et oppidum appellavit* ». Verba petita sunt ex capite quarto secundi libri poet. astr. (2), unde colligitur Isidorum non modo auctorem ab Hygino nominatum omisisse, verum etiam e verbis « *ut Petellides Gnosius historiarum scriptor demonstrat* » illud « *historia dicit* » confecisse.

---

(1) Cf. proleg. G. Beckeri ad Isid. de nat. rer. p. XII.

(2) « *Hermippus qui de sideribus scripsit ait Cererem cum Iasione... concubuisse... Ex his, ut Petellides Gnosius historiarum scriptor demonstrat, nascuntur filii duo Philomelus et Plutus, quos negant inter se convenisse... Ex hoc* (Philomelo sc.) *autem Pareanta demonstrant natum, qui de suo nomine Parios et oppidum Paron appellavit* ».

DE CASSIODORO

Recte Grialius in adnotationibus Magnum Aurelium Cassiodorum Isidori fontem interdum fuisse significavit; tantum vero abest, ut quae ex illius collectaneis libris in Origines transierunt omnia indicarit, ut nonnulla ad alium fontem rettulerit, quae aperte e Cassiodoro derivata sunt.

Collatis igitur inter se Originum et Cassiodori libris affirmare iam licet, Isidorum in suum usum convertisse capita de rhetorica, de dialectica, de arithmetica, de geometria, de astronomia, de musica. Reticendum non est, C. Halmium, qui inter rhetores latinos minores Lipsiae a. 1863 editos Isidori quoque partes ad rhetoricam spectantes (lib. 2 cap. 1-21) optimorum codicum auctoritate restitutas recepit, Cassiodorum fontem — id quod neque Grialius neque Arevalus fecerant (1) — singulis Isidori capitibus adscripsisse: neque tamen absolvit rem, quia et alii inveniri potuerunt loci, qui e Cassiodoro in Isidori libellum de rhetorica transierunt.

(1) Omnia fere, quae Isidorus de rhetorica exhibet, in adnotationibus Grialius e Cicerone (lib. I de inv.) petita esse significavit, quanquam aperte e Cassiodoro profecta sunt. Continet tamen Cassiodorus Isidori hinc inde particulas quasdam e Ciceronis de inventione libro insertas; quod utrum ipse Isidorus an post eum alius quidam fecerit, dubium est: nam id quoque credibile est, eiusmodi additamenta in Cassiodori iam fuisse codice, quem Isidorus adhibuit.

Quod ad reliqua attinet quae apud Cassiodorum exstant, ad Variarum inprimis libros, nullatenus ii ab Isidoro adhibiti videntur: mirum id quidem, cum non pauca iis contineantur ad etymologiam spectantia, quibus Isidorus haud dubie usus fuisset, si eos evolvisset. Ad theologiam vero quae pertinent, expositiones dico in psalmos et reliqua huius generis, neque omnia ea perlustravi neque accurate examinavi: ex paucis tamen locis collatis illam quoque Cassiodori partem Isidorum neglexisse colligitur.

DE SERVIO SIVE DE COMMENTARIIS VERGILIANIS

Scholia ad Vergili carmina, quae Servi nomine circumferuntur, non omnia eiusdem auctoris esse atque aetatis nemo ignorat: in tanta vero rerum farragine quid ad Servium vel ad scholiastas illius fere aetatis referendum, quid pro additamentis ex posteriorum grammaticorum aliorumve libris habendum sit, difficile est dictu; desunt enim adhuc adminicula satis firma, quae critica ars suppeditare iam dudum debebat. Subsidia tamen nobis obvia, perpolitum inprimis illud Vergilianorum scholiorum specimen quod Thilo edidit annno 1856 et Danielis Servi editionem, propterea neglexi, quod cum perpauca ea sint vix quidquam conferant ad extricandam nostram de Servio Isidori fonte quaestionem; sola igitur Lionii parum critica editione nitimur.

Inter Servi locos cum Isidoro convenientes non pauci occurrunt, qui aperte non ad Servium pertinent, sed ex Isidoro in scholiorum ad Vergilium corpus translati sunt. Cuius generis ea saepenumero videntur esse, quae uncinis quadratis [ ] inclusa leguntur, quia in plurimis codicibus desiderantur: de his tamen locis ne idem semper sentiamus multa sunt quae nos moveant. Originum enim verba cum illis locis comparata non semel demonstrant, Hispalensem episcopum aut eadem aut similia legisse in codice Vergilianorum scholiorum quem exscribendum sibi proposuerat, non semel quoque nobis fatendum est, posterioris additamenti speciem ea prae se ferre, quae uncinis inclusa Servio inserta sunt. Verumenimvero certum de iis iudicium proferri non potest, dum codicum

aetate atque familiis accurate perpensis statuatur, quid Servi vel antiqui auctoris sit, quid posterioris aetatis scriptores addiderint. Quae cum ita sint sufficiat commemorasse, codicem Vergilianorum scholiorum ab Isidoro adhibitum particulas illas uncinis nunc inclusas partim habuisse, partim non habuisse; quo factum est, ut Isidorus eas vel omnino omiserit (1), vel simul cum aliis rebus exscripserit (2), etsi de his, ut antea dixi, non satis liquet.

---

(1) Cf. Orig. 3, 70, 13 (Serv. ad G. 1, 138).
8, 11, 48. 49 (Serv. ad Aen. 4, 242).
9, 2, 75 (Serv. ad Aen. 2, 7).
3, 44 (Serv. ad Aen. 3, 519).
10, 101 (Serv. ad Aen. 1, 178).
123 (Serv. ad Aen. 10, 175).
11, 3, 34. 35 (Serv. ad Aen. 6, 287).
12, 3, 9 (Serv. ad Aen. 4, 402).
7, 38 (Serv. ad Aen. 4, 462 de bubone).
13, 16, 8 Icarus vero Cretensis (Serv. ad Aen. 6, 14).
14, 4, 22 init. (Serv. ad Aen. 11, 598).
8, 13 (Serv. ad Aen. 10, 13).
15, 11, 4 (Serv. ad Aen. 11, 849).
16, 3, 2 (Serv. ad Aen. 1, 45).
17, 7, 74 (Serv. ad Aen. 12, 764).
18, 7, 8 (Serv. ad Aen. 9, 705).
12, 6 (Serv. ad Aen. 9, 505).
19, 7, 1 (Serv. ad Aen. 1, 174).
20, 11, 6 (Serv. ad B. 4, 23).
11, 10 (Serv. ad Aen. 7, 169).
20, 14, 10 (Serv. ad G. 1, 164).

(2) Cf. Orig. 1, 16, 28 (Serv. ad Aen. 2, 16).
1, 43, 4 (Serv. ad Aen. 1, 373, ex quo Isidori verba « *Unde Sallustius ex historialibus* » ita emendanda sunt: « *Unde Sallustius ex historia, Livius* »).
5, 26, 11 (Serv. ad Aen. 1, 149).
6, 13, 3 (Serv. ad Aen. 11, 554).
8, 9, 13 (Serv. ad Aen. 3, 359).
8, 11, 52 (Serv. ad Aen. 3, 35).
9, 2, 64 (Serv. ad Aen. 11, 651).
2, 74 (Serv. ad Aen. 8, 600).

Cum vero non modo auctos verum etiam detruncatos atque coartatos Servi commentarios superesse constet, mirum non est, quod ex plenioribus scholiis Isidoriana saepissime hausta esse videantur. Neque desunt exempla, quae luce clarius demonstrent, exstare in Originum libris et pleniora Servianis scholia et deperditorum ad Vergilium commentariorum fragmenta. Quod ut planius intellegatur, pauca eiusmodi hic apponere liceat.

Orig. 20, 14, 1: « *Vomer dictus, quod vi humum eruat, seu ab evomendo terram. De quo Lucretius:*

uncus aratri
ferreus, occulte decrescit vomer in arvis.

Sumitque per detrimenta fulgorem ». Cum hoc de aratro loco si Serv. ad G. 1, 46 comparamus, pleniorem commentarium Isidorum adhibuisse primo obtutu apparet. Nam haec Servius: « *Attritus splendescere vomer; Lucretius: occulto decrescit vomer in arvo; [quod evenire frequenti aratione novimus, ut et splendidior fiat et teratur.....]* »: eundem

---

10, 72 (Serv. ad Aen. 12, 395).
198 obnixus (Serv. ad Aen. 9, 725).
11, 1, 61 (Serv. ad Aen. 11, 496).
12, 1, 8 (Serv. ad Aen. 3, 540).
6, 31 (Serv. ad Aen. 11, 682).
7, 77 (Serv. ad Aen. 3, 246).
13, 18, 5 (Serv. ad Aen. 3, 423).
14, 7, 2 (Serv. ad Aen. 2, 312).
8, 12 (Serv. ad G. 1, 332).
8, 18 (Serv. ad G. 3, 474).
15, 2, 5. 6 (Serv. ad Aen. 9, 608).
4, 13 (Serv. ad Aen. 2, 515).
15, 16, 11 (Serv. ad Aen. 9, 379).
18, 4, 4 (Serv. ad Aen. 11, 527).
7, 4 (Serv. ad Aen. 4, 131).
19, 31, 8 (Serv. ad Aen. 11, 144).
20, 11, 2 cubile (Serv. ad Aen. 4, 648).
11, 7 (Serv. ad Aen. 11, 64).

igitur cum Lucreti locum et Isidorus et Servius laudent, Isidorus paullo pleniorem eum affert; et quae tradit de fulgore, quem vomer « *per detrimenta sumit* », scholiastam ea sapiunt, qui ad illustranda Vergili verba « *attritus splendescere vomer* » illa posuerat. Initium quoque paragraphi, vomeris etymon continens, commentatoris Vergiliani esse potest, cum poeta vomeris mentionem faciat. (Cf. Varr. de lingua lat. 5, 135: « *Aratrum, quod aruit terram eius ferrum. Vomer, quod vomit eo plus terram* »). — Cf. praeterea Orig. 12, 8, 7 cum Serv. ad G. 4, 243; Orig. 14, 8, 23 cum Verg. Georg. 4, 77; Orig. 16, 8, 2 *brattea* cum Verg. Aen. 6, 209: « *sic leni crepitabat brattea vento* »; Orig. 20, 5, 3 cum Serv. ad G. 1, 142 etc.

Inter deperdita ad Vergilium scholia praeter multa alia haec quoque enumeranda videntur:

a) Orig. 18, 4, 5: « *Classica sunt cornua, quae convocandi causa erant facta, et a calando classica dicebantur, de quibus Vergilius: ' classica iamque sonant '. Apud Amazonas autem non tuba, sicut a regibus, sed a regina sistro vocabatur feminarum exercitus* ». Verba certe inde a « *apud Amazonas* » non alibi scripta exstare potuerunt, quam in commentario ad Verg. Aen. 8, 696: « *Regina in mediis patrio vocat agmina sistro* »; Servi ceterum scholion ad hunc poetae versum, etsi Grialius aliter sensit, ab Isidoro adhibitum non est. Priora autem huius paragraphi verba « *classica — dicebantur* » utrum cum reliquis quodammodo coniuncta Isidorus legerit, an scholion fuerint ad Verg. Aen. 7, 637: « *Classica iamque sonant; it bello tessera signum* », addubitari potest.

b) Ex vetere ad Vergilium commentario ea quoque fluxisse videntur, quae 19, 2, 5 exstant: « *Transtra sunt tabulae, ubi sedent remiges, quod in transverso sunt dicta, quae Virgilius iuga appellat* ». Cf. Serv. ad Aen. 6, 409:

« *Iuga; graece dixit; ζυγὰ enim dicunt quae transtra nominamus* ».

c) Orig. 19, 18, 4: « *Scalae ab scandendo vocatae, haerent enim parietibus* ». Verba « *haerent enim parietibus* » Vergili (Aen. 2, 442: « *haerent parietibus scalae* ») esse monuit Grialius, qui ea « e margine immigrasse » putavit; accipienda ea potius tanquam indicium videntur esse, Isidorum hoc loco adhibuisse vetus scholion ad Aen. 2, 442, in quo reliqua quoque simili modo legebantur.

d) Originum verba 20, 10, 6: « *Lampas flamma est in vertice lucens, dicta quod lambentis motum ostendere videatur* » simili fortasse modo apud scholiastam nunc deperditum exstabant ad Aen. 2, 684, ubi poeta ad portentum illud respiciens, quod Servio Tullio adhuc parvulo futurum enuntiavit regnum, ait (v. 682-684):

ecce levis summo de vertice visus Iuli
fundere lumen apex tactuque innoxia mollis
lambere flamma comas et circum tempora pasci.

e) Huc quoque pertinere videtur locus Isidori 10, 104: « *Fictor appellatus a fingendo et componendo aliquid, sicut qui capillos mulierum linit et pertractat, unguit et nitidat* ». Cf. Serv. ad Aen. 4, 148: « *Fingens, componens, ut*: *Et corpora fingere lingua.* [*Implicat auro; non frontem, sed crinem qui est illi retrorsum in nodum collectus*] ».

f) *Pagi* apud Isid. 15, 2, 14 explicantur et deinde 15, 2, 15 de *compitis* agitur; Verg. Georg. 2, 382:

praemiaque ingeniis pagos et compita circum
Thesidae posuere;

verisimile igitur est, in scholiis quibusdam ad hunc poetae locum repperisse Isidorum ea quae §§ 14. 15 leguntur. Sed nihil affirmo: coniectura enim ordine tantum nititur, quem et Vergilius in enumerandis pagis et compitis servavit et Isidorus in explicandis iisdem verbis secutus est.

Argumento denique si opus est, Isidorum non Servi tantum sed etiam aliorum ad Vergilium scholiis esse usum, habemus verba Servi ad G. 1, 147: « *Prima Ceres omne agriculturae genus hominibus indicavit. Superfluo enim quaestionem movent [quidam] commentarii, dicentes Osirim vel Triptolemum aratrum invenisse. Nam aliud est unam rem invenire, et aliud omnem agriculturam docere: quod fecit Ceres. Nam ferrum dicendo cuncta generaliter rusticorum arma complectitur* », ubi *commentariis* procul dubio scholia quaedam ad Vergilium significantur: et haec quidem scholia Isidorus adhibuisse videtur, cum 17, 1, 2 dicat: « *Quidam autem Osirim dicunt esse artis huius inventorem, quidam Triptolemum. Et hic quaestio est, quomodo prima Ceres in Graecia vertere terram ferro instituit; sed ferro qualicunque, non specialiter vomere aut aratro* ». Similia igitur de eadem re, non eadem tradiderunt et Servius et Isidorus: Servius quia commentariorum illorum quaestionem tangit, Isidorus quia ex iisdem commentariis hausit. Quod si non ita esset, sed si e Servio Isidori locus esset profectus, quid Hispalensem episcopum induxisset ut scriberet: « *et hic quaestio e s t, quomodo* etc. »? At hic dicat aliquis: non de eo quaestionem fuisse significat Servius, quomodo prima Ceres in Graecia vertere terram ferro instituerit — id quod secundum Isidorum quaestionis summa est —, sed utrum Osiris an Triptolemus invenerit aratrum. Concedo: cum vero apud Isidorum etiam legatur, alios Osirim, alios Triptolemum aratri usus inventores perhibere, Servi praeterea verba « *nam ferrum dicendo cuncta generaliter rusticorum arma complectitur* » tantam cognitionem habeant cum hisce Isidorianis: « *sed ferro qualicunque, non specialiter vomere aut aratro* », ut iis demum Originum locus totus intellegatur, fieri non potest quin censeamus, quaestionem de qua Ser-

vius loquitur eas quoque comprehendisse res, quas Isidorus tangit.

Restat ut commemoremus, nonnulla sicuti nunc leguntur apud Isidorum Ottonis non in omnibus cum Servio fonte concinere, sed aut omissis aut immutatis vocabulis verborumque ordine confuso ita interdum depravata esse, ut de alio ac Servio fonte cogitari queat; attamen si non Ottonis arti criticae adstipulamur, quae nititur paucis recentioribus codicibus iisque perquam interpolatis, sed vetustissimum Originum codicem Guelferbytanum ab eo penitus neglectum in auxilium vocamus, cum Servio ea optime conciliari posse, imo fere semper ad verbum congruere apparet (1).

---

(1) Exiguam tantum, cum per paucos dies Guelferbyti essem, Originum partem conferre mihi licuit cum codice Carolino saec. VIII ineunt. (W); sufficiant igitur haec duo exempla:

a) Orig. 10, 219.

Otto : « *Praedator autem est, cui debetur de praeda aliquid* »;
Arev. : « *Praedator est, cui de praeda debetur aliquid* »;
Cod. W: « *Predator hoc est qui de preda debetur aliquid* »;
Serv. ad Aen. 3, 222: « *Ipsum, i. e. regem deorum, aut certe praedatorem, hoc est cui de praeda debetur aliquid* ».

b) Cum Servio (ad Aen. 5, 758) optime congruit Isid. 9, 4, 8 si non Ottonis verborum contextum sequimur, sed eum quem cod. W exhibet et editio Arevali. Ita enim Otto : « *Alii a sinendo dicunt senatores*, *quod ipsi agendi habeant facultatem* »; cod. W et Arev.: « *Alii a sinendo dictos accipiunt senatores. Ipsi enim agendi facultatem dabant* ».

DE SCHOLIIS IN LUCANUM

Perquam gravis est quaestio de ratione quae inter Originum libros intercedit et scholia in Lucanum. Nam scholia a C. Fr. Webero a. 1831 (vol. III opp. Lucani) edita, etsi multis in locis optime congruunt cum Isidoro, Originum tamen fontibus adnumerari non possunt, quippe quae et vetera et recentiora commentaria ita inter se commixta contineant, ut cum divelli nequeant ne indicari quidem ea certo quodam modo possint, quae ex Isidoro paullatim accesserint ad antiquissimum scholiorum corpus. Recte igitur H. Genthe de Webero sensit, cum haec poneret in libello de scholiis Montepessulanis in Lucanum edito (1) p. 3: « ingenti scholiorum farragine obrutus paene atque oppressus antiqua et recentia non satis dignovit et Vossianorum codicum auctoritati nimis subtraxit. Illud enim iam initio disputationis meae affirmare possum scholia a Webero collecta non referre imaginem nedum sanguinem et nervos ‘ adnotationis super Lucanum ’ nec antiquissimi commenti in Lucanum, quod a Vacca quodam esse scriptum Weberus ipse ostendit »; neque tamen defuerunt, qui rerum verborumque similitudine decepti Weberianam illam scholiorum congeriem ab Isidoro adhibitam atque saepius exscriptam esse assere-

(1) Progr. gymnasii berolinens. « *zum grauen Kloster* » 1868.

rent: quorum inprimis erravit ipse Weberus in dissertatione « de interpretibus Lucani » sub fin. vol. III p. V sqq., quem secutus H. Kettner (*Varronische Studien*, Halle 1865 p. 14) in eundem errorem incidit.

Tantum vero abest, ut in hac de Isidori fontibus disquisitione omnino neglegenda esse censeam scholia in Lucanum, ut quatenus vetustiorem eorum partem Isidorus adhibuerit investigandum esse existimem, cum verisimillimum videatur, Originum libris contineri commentarii cuiusdam in Lucanum particulas. De antiquo enim Lucani interprete dubitari non posse, Hieronymi contra Rufinum verba declarant (vol. II p. 472 A ed. Vallars.): « *Puto* » inquit « *quod puer legeris Aspri in Virgilium et Sallustium commentarios, Vulcatii in orationes Ciceronis, Victorini in dialogos eius, et in Terentii comoedias praeceptoris mei Donati, aeque in Virgilium et aliorum in alios, Plautum videlicet, Lucretium, Flaccum, Persium atque Lucanum* ». Quale vero fuerit commentarium illud quod Hieronymi aetate exstabat et utrum ex eo Isidorus sua petierit nec ne, plane nos nescire fatendum est.

Attamen hoc velim animadvertas, scholiorum in Lucanum corpora quae nobis supersunt cum aperte inter se differant nec eadem aetate conscripta esse possint, fere omnia continere particulas quasdam, quae apud Isidorum iisdem vel similibus verbis redeunt, ita quidem, ut quae in singulis commentariis cum Isidoro consentiant non eaedem semper, sed pro varietate commentariorum diversae plerumque sint res, quamquam nonnulla etiam omnibus scholiorum recensionibus communia sunt cum Isidoro. Quae cum ita se habeant, fieri non potest quin censeamus, Isidorum re vera hausisse ex vetere in Lucanum commentario, de quo quidem certam sententiam pronuntiare non licet: desunt enim adhuc, si non scholiorum in Lucanum ingens fere moles, adminicula tamen

quaedam quaestionis instituendae satis firma atque critica quam dicunt arte perpolita. Nam omissis scholiis a Webero editis, quippe quae nobis usui esse non possint, ea quae Hermannus Usener publici iuris facere promisit nondum in partes vocari possunt omnia, cum prior tantum eorum pars, « commenta Bernensia » continens, edita sit; nec multa pro nostra quidem quaestione exhibent Genthii scholia Montepessulana. Verumenimvero eiusmodi ea sunt, quae diligentius nobis pertractanda videantur, cum in tam exiguo scholiorum numero quaedam cum Isidoro optime congruant suamque de iis editor iam tulerit sententiam in hunc modum (p. 14-16): « Sed cum antea » inquit « demonstrarimus scholiasten hausisse e Seruii et Orosii scriptis, nunc inuestigandum erit quatenus Isidorus e uetere commento in Lucanum hauserit. Nam scholiorum in Lucanum partem ex Isidori Originibus fluxisse neminem puto fore qui sibi persuadeat. Usque adeo omnium rationum consensu efficitur hoc statui non posse: atque cum iam scholia a Webero edita quicunque leuiter tantum attigerit et properante quasi oculo comparauerit cum Isidori Originibus, plus quam triginta locis Isidorum commento uetere in Lucanum aeque ac Seruii commentis usum esse deprehensurus sit, magna est spes fore, ut ‘ commentis Bernensibus in Lucanum ’ et ‘ adnotationibus super Lucanum ’ ab Usenero propediem edendis multo clarior certiorque lux huic rei afferatur. In epistulis ad Braulionem episcopum datis Isidorus ipse profitetur se ‘ opus DE ORIGINIBUS RERUM ex ueteris lectionis recordatione conlegisse atque quibusdam locis ita adnotasse ut extaret conscriptum stilo maiorum ’. Qui quidem maiorum stilus certissime agnoscitur in iis quae iam sum prolaturus [?]. Namque e scholiis nostris ad uerbum concinunt cum iis quae leguntur in Isidori Originibus haec tria I 7 c. Isid. XVIII 7, 9. I 625 c. Isid. XI 1, 30 [130]. VI 689 c. Isid. XII

7, 42 et maximam partem item tria I 228 c. Isid. V 31, 5 [6] et XIII 10, 12. II 50 c. Isid. IX 2, 63. VIII 180 c. Isid. III 70, 8... Agnoscimus igitur Isidorum explicationibus uocabulorum e scholiis petitis eos poetae locos ad quos illae explicationes pertinerent haud raro addidisse, deinde si res ferret adiecisse quaedam aut proprio Marte conposita aut aliunde deriuata memoriaeue haerentia... Ea quae in scholio ad I 7 leguntur '*Pila sunt arma iaculorum atque telorum a torquendo uel emittendo uocata*' cernimus referri ab Isidoro XVIII 7, 9 '*Pila sunt arma i. a. t. a. t. u. e. u. De quibus Lucanus* (I 7) '*Signa pares aquilas et pila minantia pilis*'. *Cuius singulare pilum dicitur*'. Quorum uerborum quae extrema sunt habent propter quod notentur. Isidorus enim illo quod DE HASTIS est capite explicandas uoces singulari numero omnes protulit exceptis quae sunt 'trudes' et 'uenabula', quas cum earum explicationem e commentis in Vergilium excerperet [trudis explicationem ab Isidoro 18, 7, 3 traditam apud scholiastas in Vergilium invenire non potui] eodem modo plurali numero transscripsit quo 'pila' e Lucaniano scholio. Quae ad VI 689 de strige scholiastes dixit '*Strix nocturna auis habens nomen de sono uocis. quando enim clamat, stridet*' repetuntur item addito Lucani loco apud Isidorum XII 7, 42 '*Strix n. a. h. n. de s. u. q. e. c. s. de qua Lucanus* (VI 689) *Quod trepidus bubo, quod strix nocturna queruntur*' et ni fallor de suae aetatis superstitione additur ab illo '*Haec auis uulgo dicitur amma ab amando paruulos, unde et lac praebere fertur nascentibus*'. [Cf. Ovid. fast. 6, 139. 140:

Est illis strigibus nomen. sed nominis huius
causa, quod horrenda stridere nocte solent.

Plin. n. h. 11, 232: « *Fabulosum enim arbitror de strigibus ubera eas infantium labris inmulgere* »]. — Tertium scholion est illud ad I 625 '*omentum membranum quod con-*

tinet intestinorum maiorem partem'; quod refertur apud Isid. XI 1, 130 ubi haec sunt: '*Omentum m. q. c. i. m. p., quod* ἐπίπλουν *Graeci uocant*'. *Disseptum intestinum quod discernit uentrem et cetera intestina a pulmonibus et a corde*'. Quibus e uerbis quae sunt '*quod* ἐπίπλουν *Graeci uocant*' fortasse in scholiis ipsis quibus Isidorus priora debet fuerunt sed in Montepessulano exemplari, ut saepissime in Graecis uocabulis alias librarios fecisse constat, omissa sunt. Reliqua uero Lindemannus [?] male cum antecedentibus iunxit. Prorsus seiungenda sunt. Non enim alteram quandam omenti sed alius intestinorum partis explicationem continent. Deinceps explicantur ibi omentum disseptum caecum ieiunum uenter, quorum duo priora nunc male coniuncta quasi unius partis explicationem contineant leguntur. Itaque restituendus Isidoro est hic rerum ordo: XI 1, 130 *Omentum. membranum* etc. 131 *Disseptum. intestinum* etc. 132 *Caecum intestinum* etc. 133 *Ieiunum. tenue intestinum* etc. 134 *Venter* etc. — Atque cum ipsis iis scholiis, quae maximam partem tantum congruere et consentire supra dixi, quam arta intercedat Isidori Originibus necessitudo, satis cognoscetur uno exemplo adposito. Etymologia uocis 'hae tenebrae' a scholiasta prolata ad I 228 '*Tenebrae a tenendo eo quod tenent umbram*' bis occurrit apud Isidorum scilicet V 31, 5 [6] '*Tenebrae autem dictae quod teneant umbras*' et XIII 10, 12 '*Tenebrae dicuntur quod teneant umbras. Nihil autem sunt tenebrae, sed ipsa lucis absentia tenebrae dicuntur sicut silentium non aliqua res est sed ubi sonus non est silentium dicitur: sic tenebrae non aliquid sunt sed ubi lux non est tenebrae dicuntur*'. Unde quae in his de tenebrarum natura docentur petiuerit Isidorus equidem nescio [« Nihil autem sunt tenebrae — dicuntur. Verba Augustin. in I de genes. contr. Manich. c. 4 [§ 7 vol. I p. 648 C] » GRIALIUS]: e scholiis in Lu-

canum ea esse uix crediderim. In prioribus manifesto uidemus quomodo Isidorus cum illius scholii, quo tenebrarum etymologia proferebatur, reuocaret memoriam, fluctuarit paullulum neque in verbis sibi constiterit. Ad etymologias autem conligendas uidetur Isidorus praecipue animum adplicuisse, cum uetus illud commentum in Lucanum legeret, nam in aliis rebus magnopere a scholiis discrepat ut Origg. IX 3, 15: I 108 XVIII 12, 3: I 604 XIX 3, 4: II 364 XVIII 7, 3: III 586 XIIII 8, 38: III 755 IX 2, 114: IIII 10 XIIII 3, 36: IIII 23 XIII 16, 8: IIII 57 III 70, 23 24: IIII 58 V 34, 3: IIII 57 sqq. IX 2, 7: IIII 63 XVI 12, 6: IIII 380. Quae cum ita sint, non errabimus statuentes scholia quae sunt in codice Montepessulano M orta esse saeculo sexto ».

Hactenus Genthe. Si vero totam hanc disputationem attentius perpendimus, qua demonstrasse Genthe sibi videtur, Isidorum ex scholiis Montepessulanis hausisse, fieri non potest quin omnem demonstrandi vim eidem deesse statuamus. Nullum enim, quantum invenire potui, protulit argumentum, ne verisimilitudinem quidem, qua mihi persuadeam, ex hisce scholiis re vera Isidorum exscripsisse ea, quae cum iis concinunt; attulit scholia quae ad verbum cum Isidoro congruunt, adiecit ea quae maxima ex parte cum Originibus consentiunt, pauca his addidit illustrandi causa atque de ratione qua Isidorus uti solet in exscribendo, novam distribuendi rationem ibi necessariam esse exposuit, ubi Lindemannus, imo Otto (et ita quoque Arevalus) vix aliter coniunxit, exhibuit Isidoriana quae magnopere a scholiis discrepant: inde argumentatus est, Montepessulana scholia saeculo VI orta et ab Isidoro adhibita esse. At eodem iure quo Genthe ista pronuntiavit ego contendere possem, Montepessulana scholia nihil aliud esse quam excerpta ex auctiore quodam commentario — quod quidem ipse ita se habere

autumat Genthe p. 17 —, qui tamen simili ratione ac scholia a Webero edita ex Isidoro multa receperit: ea igitur quae in Montepessulano exemplari Isidorianis respondent parvulam tantum esse partem multorum, quae ex Isidoro in pleniore commento Lucaniano exstabant. Quae mihi sententia verisimilior videretur esse quam illa Genthii, si modo eiusmodi coniecturam facere liceret.

Certum igitur de hac re iudicium proferri cum nullo modo possit, quaestio non absoluta remaneat necesse est, donec omnibus quae exstant scholiorum in Lucanum exemplaribus docta manu ingenioque critico recognitis atque castigatis antiquissima scholia a recentioribus et recentissimis segregata erunt. Tum demum spero fore ut exemplis probetur, Isidorum multa ex commentario quodam in Lucanum transtulisse in libros Etymologiarum.

INDEX

Monitum
I. De ratione qua Isidorus usus sit in exscribendo . . *pag.* 1-11
II. De scriptoribus nonnullis quibus Isidorus usus est . . » 12-66
De Sallustio . . . . » 12
De Iustino . . . . » 35
De Hegesippo . . . . » 37
De Orosio . . . . » 38
De Plinio . . . . » 39
De Solino . . . . » 43
De vetere Vitruvi compendio . . . . » 47
De Lucretio . . . . » 49
De Hygino . . . . » 50
De Cassiodoro . . . . » 51
De Servio sive de commentariis Vergilianis . . . . . » 53
De scholiis in Lucanum . . . . » 60


BR
65
I77E74
Dressel
178310